



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude


August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

Liber LXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

scri-
Ver-
uem
lum,
mplo
fun-
ficis,
chie-
uam
& an-
coa-
fimo
ma-



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER LXXIX.

HONORIUS III. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCIDENT.
ROBERTUS IMP. ORIENTALIS.

§. I.

*Georgiani ad Summum Pontificem
convertuntur.*

Inter hæc Russutana, Regina Avogniæ, Sæcul. XIII,
A. C. 1224.
seu magis Avogasiæ, Regionis Geor- Baudrant.
gians finitimæ, Honorio Papæ per Hon. VIII,
Davidem, Episcopum Haniensem, misit ap. R. 432.
T t s. Episto- n. 17.

Sæcul. XIII. Epistolam, in hunc modum scriptam:
 A. C. 1224. Fratrī meo, Georgianorum Regi, fati-
functo, in Regno successi; quare pater-
nam tuam Benedictionem mihi, & Chri-
stianis subditis meis expeto. Ut suaden-
ti Legato tuo, tunc Pelusii commoranti,
obsequeremur, frater meus Christianis
suppetias ferre statuerat, ac omnia ex-
peditioni necessaria parabat. Sed ecce
perditorum hominum perfidiam! Tar-
tari in ditionem nostram irrumpunt,
&, qua possunt, perniciem inferentes,
sex Gentis nostræ virorum millia tru-
cidant. In incautos irruerunt, quod
Tartaros Christiana Religione, & mo-
ribus mitigatos crederemus; verum ubi
a Fide Christi alienos esse constitit, col-
lectis universis viribus, prædones prælio
vicimus, ac, viginti quinque millibus
cæsis, multisque captis, reliquos ex patria
nostra eiecimus. Hæc causa est, quod
mandata Legati tui exequi non potueri-
mus. Nunc vero maximo gaudio per-
cepimus, Imperatorem, Te auctore, in
Syriam venturum, ut Terram sanctam
liberet. Ergo certiores nos fac, quando
trajecturus sit; nos autem Joannem, Bel-
li Ducem constitutum, cum toto exer-
citu in illo loco præsto esse jubebimus,
quo Cruce signatos ad auxilium Chri-
stianorum, & sanctum Sepulchrum vin-
dicandum convenire decreveris. Illud
 quo-

quoque tibi notum esse oportet, quod ^{Sæcul. XIII.} ^{A. C. 1224.}
 Archiepiscopus, multique alii Regni no-
 stri Optimates, edito sacræ militiæ vo-
 to, Cruce signatorum adventum præ-
 solentur. Rogamus Te igitur; ad nos
 Christianos, in Oriente degentes, literas
 tuas, & Benedictionem mitte. Copia-
 rum Dux Joannes Epistolam ad Papam
 dedit, Reginae literis consentaneam, in
 qua refert, Tartaros, ut Christiani vi-
 derentur, in aciem procedentes, Crucem
 sibi præferri jubere.

Papa, datis utrique humanissimis
 Responsoriiis, Reginam, eique subjectos
 populos dilaudat, quod Religionem
 Christianam, in medio Infidelium positi,
 conservent. Indicat, Fridericum Impe-
 ratorem a proximo S. Joannis Festo, in-
 tra annum, in Palæstinam transmissu-
 rum; & addit, se Indulgentiam plena-
 tiam impertiri omnibus ejus subditis,
 qui in hoc sacro bello militaturi essent.
 Tandem hortatur, ut hanc suam Episto-
 lam cunctis civibus audientibus recita-
 ri jubeat. Erat vero die duodecima
 Maji anno millesimo ducentesimo vigesi-
 mo quarto data.

Georgiani, inde ita dicti, ut Latini
 putabant, quod singulari devotione
 S. Georgium colerent, & ejus opem
 contra Infideles ad castra proficiscentes
 invocarent, Christiani erant Græci Ri-
 tus,

Sæcul. XIII.
A. C. 1224.

Jac. Vitr.
hist. Orient.
6. 79.

tus, quorum Clerici tonsuram more nostro orbicularis formæ gerebant. Laici supremum verticem rasum habebant, sed forma quadrata, ceterum capillis & barba egregie promissis. Hierosolymam peregrinantes, S. Sepulchrum invisuri, urbem intrabant, nullo dato tributo, & erectis vexillis, non enim audebant Saraceni Georgianos ullo modo laceffere, ne, ad sua reversi, conceptam iram in finitimos Saracenos effunderent. Georgiani vehementer indignati sunt Coradino, Damasci Soldano, cum comperissent, quod, Latinis Pelusium obsidentibus, muros Hierosolymæ, se inconsultis, solo æquari jussisset, Gens bello incluta, & Infidelibus propinquis terribilis. Nobilium feminarum greges in Georgia ad bellum procedebant armati, & more veterum Amazonum dimicabant.

Hæc nobis Vitriacus de Georgianorum moribus retulit.

§. II.

*Partæ a Tartaris Provinciæ, Duce
Ginguis Can.*

Tartari, Georgianorum hostes, novi erant gentium domitores, qui ab annis ferme viginti, Duce *Ginguis Can*, Rem suam publicam mirum in modum pro-
rulerant. *Ginguis Can*, primo nomine

olim Temuginus dictus, ex stirpe Regum Sæcul. XIII.
 anno Hegiræ quingentesimo quadragesi- A.C. 1224.
 mo nono, Jesu Christi millesimo centesimo
 quinquagesimo octavo, natus, diu servit
 potentissimo in Turquestania seu Tarta-
 ria Orientali Principi, *Ung Can*, & alio
 nomine Joanni, filio David, Christiano
 Nestoriano, dicto, qui haud alius, quam Sup. Lib.
 qui Joannes Presbyter appellabatur, fuisse LXIII.
 creditur. S. 7.

Aliunde profecto constat, illa ætate
 in Tartaria superiore reperire fuisse ma-
 gnam multitudinem Christianorum Ne-
 storianorum, quos Missionarii Syri ex
 urbibus Mosul & Bassora informabant.
 Hi enim Prædicatores agmina Mercato-
 rum, ex Samarcanda, Bochara, aliisque
 amplissimis urbibus, Tartariæ propin-
 quis, illuc proficiscencia sequebantur.
 Quin iidem Syri, usque in Chinam cir-
 ca annum Jesu Christi septingentesimum
 trigessimum septimum pervadentes,
 Christianam Religionem intulerunt.

Temuginus, postquam plus quam an-
 nis triginta *Ung-Can*, Principi suo, u-
 tilissima præstitisset obsequia, & præci-
 pue in bello sæpissime rem strenue ges-
 sisset, monetur ab amicis, Dominum
 suum, calumniatorum delationibus in-
 transversum actum, interitum sibi pa-
 rare.

Sæcul. XIII.

A.C. 1224.

Abulfarage
p. 380.

rare. Temuginus non modo fuga sibi salutem præstitit, sed etiam *Ung. Can* bello aggressus, subita clade obruto, perniciem, quam ipsi machinatus fuerat, intulit. Ita victor Temuginus in Turquestania rerum potitus est. Aliquis ex viris præcipuis Mogolium, quippe ita hi Tartari appellabantur, postquam omnium oculis ereptus per dies aliquot errasset in silvis, reversus, & eorum Concionem inexpectatus intrans, Deum sibi locutum fuisse inquit, & dixisse: *Temugino, quem exinde GINGUIS-CAN nominari volo, ejusque posteritati totam terram dedi.* Fidem invenit hucusque ignotus Vates, namque Temuginus *Ginguis-Can* id est, Rex Regum appellari voluit, totaque in eo Concilio Mogolium Turcarumque frequentia eidem Imperium obtulit. Ista anno Hegiræ quingentesimo nonagesimo nono, Jesu Christi millesimo ducentesimo secundo, *Ginguis-Can* annum ætatis suæ quadragesimum nonum numerante, agebantur.

Is, parti subito regni finibus Meridiem versus prolatis, anno millesimo ducentesimo vigesimo in *Mauvenabar*, maxima Provincia, ad mare Caspium, qua Orientem spectat, posita, celeberrimas urbes Ottraram, Bocharam, & Samarandam, in suam potestatem redactas, vasta-

vastavit, civium plerisque gladio perem-
 tis, aut in diversas urbes illius Regionis
 sparsis. Non nunquam jactare auditus,
 missum se a Rege Omnipotente, ut ter-
 ras Regum impiorum ab iniquitate pur-
 garet. Ceterum *Ginguis Can* nec Chri-
 stianorum, nec Musulmannorum fidem
 tenebat, sed colebat unum Deum altis-
 simum, qui vitam & mortem, & omnia
 hujus mundi bona mortalibus distribuit.
 Eum Musulmanni exhorrebant, quod in-
 gentibus malis ipsorum Religionis con-
 sortes afficeret, quippe *Ginguis-Can*
 milites viros Musulmannorum Religio-
 sos necabant, Doctores & Magistros in-
 terficiebant, templâ evertabant, Alco-
 ranum cremabant, contra Christianis
 favebant. Subacta Provincia *Maurena-*
bar, *Ginguis-Can* Regiones *Corasan*,
Mazanderan, aliasque occupavit, & tan-
 dem adversus Russos movit. Unde
 ejus Imperium totam Asiæ Septentri-
 onalis partem, vastissima terrarum spa-
 tia, nempe a Sinis usque in Moscoviam,
 complectebatur. Abiit ex hac vita an-
 no Hegiræ sexcentesimo vigesimo quar-
 to, salutis nostræ millesimo ducentesi-
 mo vigesimo sexto, Regni vigesimo quin-
 to, ætatis suæ septuagesimo quarto,
 postquam Successorem sibi filiorum suo-
 rum aliquem *Ostai-Can* delegisset; haud
 sane paucos enim genuerat, quorum alii
 Chri.

Sæcul. XIII.
 A.C. 1224.

Sæcul. XIII. Christianorum, alii Judæorum, alii Idolatrarum Religionem, alii omnino nullam profitebantur (*).

S. III.

(*) Man muß sich nicht verwundern, daß die Kinder dieses Ginguis - Can sich eine Religion nach ihrem Gefallen erwählet, oder gar keine angenommen, weil ihnen der Felsen, auf welchen Christus die wahre Religion gegründet, unbekannt gewesen. Hingegen bey Christen, welche immer die Schrift in Händen, und im Munde haben, ist es etwas erstaunliches, wenn sie das Licht der römischen allgemeinen Kirche, welches der Erbsfer angezündet, und durch alle Jahrhunderte des Christenthums so hell geschienen hat, nicht sehen wollen. Ich bin zwar weit davon entfernt, daß ich den Herren Protestanten den Ruhm absprechen wollte, daß sie in ihrem Christenthum standhaft sind, ausgenommen die Freygeister; das ist aber nicht genug. Denn I. Corinth. II. Oportet esse Hæreses. Also muß man auch unter so vielen christlichen Secten die wahre Religion annehmen, und in der wahren Kirche Christi leben. Und in diesem Stücke sind die Protestanten Indifferentisten. Wenn ein protestantischer Fürst von der Augspurgischen Confession drey Prinzessinnen Töchter hätte, und ein Czar in Rußland eine, der König in Engelland die zweyte, und ein König in Spanien die dritte zur Gemahlin verlangte; wenn sie die in einem jeden Reiche eingeführte Religion annehmen wollten; so ist es ganz wahrscheinlich, daß allen dreyen gekrönten Fürsten

§. III.

Sæcul. XIII.
A. C. 1224.

Ludovicus Rex in Territorio Pic-
viensi Victor.

Honorius Papa, comperto, quod Lu-
dovicus VIII. Rex Franciæ, monitis
suis precibusque rejectis, copias in Di-
tiones, quæ trans mare Regi Angliæ su-
pererant, immitteret, data ad eum die
tertia Augusti Epistola, factum expro-
brat, queriturque, quod, relictis paren-
tis sui vestigiis, nullam rationem habeat
Constitutionis in solemnibus colloquio a
Papa & Imperatore editæ, omnibus Prin-
cipibus Christianis servandam esse pa-
cem, & de opibus suis ad succurrendum
Terræ sanctæ conferendum. Respon-
dit Rex Papæ: *Tempore induciarum in-
ter Regem, Genitorem nostrum, &
Henricum Angliæ Regem initarum e-
lapsis, Barones nostri eas prorogare non
iusserunt. Quare ipsi ad castra proces-
simus,*

II. ep. I.
Rain. n. 14.

ap. Rain.
n. 16.

stern die gewünschte Braut bald würde zugeschi-
cket werden, und also eine von diesen Schwestern
sich zur griechischen, eine zu der englischen, und
eine zu der katholischen Religion bekennen wür-
de. Wie hält es aber also bey den Protestanten
um die so nothwendige Kirchengemeinschaft, und
um die Einigkeit im Glauben?

Hist. Eccles. Tom. XIX. U u

Sæcul. XIII. *simus, ut Feuda nostra in Territorio Pictaviensi occuparem, quibus Joannes Rex, competente sententia Judicum suorum, Baronum nostrorum, exutus est, priusquam Henricus Rex nasceretur. Illo igitur jam tempore Feuda ista Regno Franciæ denuo juncta sunt, quæ modo Henricus Rex sua esse contendit, atque viribus Regni Angliæ, quod Ecclesiæ Romanæ, tuumque Feudum est, bellum contra nos movet. Quare, sancte Pater, quia non credimus, velle te, ut ex Feudis tuis Regno nostro ruina immineat, Paternitatem tuam vehementer rogamus; fac, ut cesset Rex Angliæ, si tuo jussu arma nobis infert, si proprio consilio renegerit, noli mirari, si nihil omittimus, quo rebellem coerceamus.*

Gest. Lud.

Ludovicus itaque, in Pictaviensem agrum inducto milite, ac Niorto, & Oripido S. Joannis de Angelis captis, Ruppellam obsidione cinxit. Interim Parisiis, ut Regi militanti opem a cælo flagitarent, populi inter solemnes preces ab Ecclesiâ Dominæ Nostræ usque ad Abbatiam S. Antonii de pratis procedebant, piæque peregrinationi quadam die Reginæ tres interfuerunt, Ingeburgis, Philippi Regis vidua, Blanca Ludovici Regis uxor, & Berengaria Regina Hierosolymæ, Blancæ Mater. Quippe Joannes Briennius, Rex Hierosolymæ,

cum

cum baculum in Palæstinam peregrinatum prima Dominica Quadragesimæ hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto accepisset, ad S. Jacobum in Gallæciam perrexit, unde per Castiliam rediens, Berengariam Ferdinandi Regis sororem nuptiali fœdere sibi junxit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1224.

G. Nang. an.
1223 Godef.
ann. 1224.

Ceterum Ludovicus, expugnata Ruppella, totam Aquitaniam, si Occitaniam exceperis, ad deditionem compulit.

§. IV.

Concilium Montispeffulanense.

Sub idem tempus, nempe infra Octavam Assumptionis Domine nostræ, Concilium in urbe Montispeffulo Auctoritate Papæ celebratum est. Quippe in eo Archiepiscopus Narbonensem modum pacis, quam Raimundus Tolosanus, & alii Albigenes Sanctæ Matri Ecclesiæ offerebant, audire, & quid actum esset, referre jusserat. Itaque Archiepiscopus, ut mandata exequeretur, suæ provinciæ Episcopos & Abbates, atque etiam provinciarum Arelatensis & Ausciensis convocavit, in quo Conventu Comes Tolosanus ea, quæ jam prius ad pacem tam sibi quam Fautoribus suis ab Ecclesia Romana impetrandam obtulerat, iterum promisit, in hunc modum: *Fidem Ca-*

App.
to. II. Conc.
p. 233.
Gest. Lud.

Uu 2 tholi-

Sæcul. XIII. A. C. 1224. *tholicam, quam Ecclesia Romana docet, tenebimus, & in omni terra nostra teneri curabimus. Ditiones nobis subditas, secundum Judicium Ecclesie, fideliter ab Hæreticis purgabimus, bona eorum Fisco addicemus, penas corporis adhibebimus. Pacem in toto principatu nostro servari præcipiemus, grassatores de finibus nostris expellemus. Ecclesiis omnia jura restituemus, earum libertati cavebimus. Ob illatum damnum & injuriam abolendam Ecclesiis ac Viris Ecclesiasticis dabimus viginti millia marcarum argenti, ea tamen conditione, ut nos Papa ab omni Comitis Montfortii in terras nostras postulatione absolvat. His promissis se se obstrinxit Raimundus die vigesima sexta Augusti anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, ac juramentum addidit, quod etiam Rogerius Bernardus Comes Foxiensis, & Trencavellus Vicecomes Bliterrensis confirmarunt.*

Amalricus Comes Montfortius, qui se virtute Decreti Concilii Lateranensis Comitem Tolosanum gerebat, nec ipse, nec quisquam alius, ejus nomine, Colloquiis, ad reconciliandum Comitem Raimundum habitis, interfuerat. Quare datis ad Præsules Concilii Montispefulanensis, antequam congregarentur, literis, exponebat; bellum contra Albigenses

genes successu non carere, nec modo esse desperandum, eos comprimi posse, & nunquam victoriæ spem magis quam nunc arrisisse, postquam Rex Franciæ opus aggressus esset. Subjungit: *Obsecramus vos igitur; nullam pacem, nulla pacta, cum Raimundo admittite, quæ Juri nostro noceant, sine dubio simul etiam in scandalum & ignominiam totius Ecclesiæ redundatura.* Archiepiscopus Narbonensis, in Concilio Montispeffulanensi Præses, tunc erat Arnaldus, antea Abbas Cisterciensis, qui anno sequente millesimo ducentesimo vigesimo quinto, postquam annos tredecim Episcopatu eminuisset, e vivis ereptus est.

§. V.

S. Francisci Stigmata.

Jam diu S. Francisco tempus suum dispartendi hæc erat ratio, ut partem unam salutis proximi, alteram propriæ quieti, & rerum divinarum contemplationi daret. Hinc etiam biennio antequam ex hac vita abiret, nempe anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, magnis laboribus fatigatus, in montem Alvernæ secessit, Quadragesimam S. Michaelis, ut adsueverat, nempe quadraginta Jejunii dies ab Assumptione Beatæ Virginis usque ad finem mensis Septembris, transacturus. Mons hic in Thuria

Bonav. c. 13.

Vading.
1224. n. 2. 3.

Uu 3 scia

Sæcul. XIII.
A.C. 1224.

Vading. an.
1213.

sciæ finibus Apennini pars est, inter fluvios Arnun & Tiberim haud procul a Vallibus Camaldulensi & Umbrosa distans, anno millesimo ducentesimo decimo tertio a Viro Nobili illius regionis Orlando Catanio, qui Oratorium, & non nullas Cellulas ibi construi curaverat, S. Francisco dono data. Ibi ergo degenti Viro sancto, anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, postquam diu, & ardentissime orasset, indicavit Deus, quod aperto Evangelii Libro lecturus esset, quid in se Deo maxime gratum inveniri posset. Quare, præmissis iterum multis precibus, Librum ex Altari acceptum Fratrem Leonem, quem solum in illa eremo socium habebat, aperire jubet, aperuit ille Librum tertio, totiesque Domini Nostri Passio inspicientibus occurrit. Unde cognovit Franciscus, Deum a se petere, ut antequam moreretur, magis quam hactenus similis patienti Christo efficeretur, quamvis vero corpusculum circumferret vitæ rigore valde extenuatum, majore tamen pati cupiebat, & ad Martyrium sustinendum, quod illam perfectam Christi in Cruce expirantis similitudinem esse credebatur, accendebatur.

Quodam mane, circa Festum Exaltationis S. Crucis, quod in diem decimam quartam Septembris incidit, in latere montis

Sæcul.XIII.
A.C.1224.

montis orans, vidit quasi speciem Sera-
phim, sex alas tam fulgidas quam igni-
tas habentis, de coelorum sublimitate
descendere, qui, volatu celerrimo ad ae-
ris locum viro Dei propinquum perve-
niens, inter alas formam hominis exhi-
bere visus est, cujus manus pedesque
extensi & cruci affixi erant. Alæ duæ
supra caput erigebantur, duæ extende-
bantur ad volandum, & duabus totum
corpus tegebatur. Quo viso vehemen-
ter obstupuit Franciscus, mixtumque do-
lori gaudium sentiens, intellexit, se non
per Martyrium carnis, sed per incen-
dium mentis in Jesu Christi simulacrum
esse transformandum. Disparens visio
mentem ipsius seraphico inflammavit ar-
dore, carnem vero externis plagis insi-
gnivit. Statim namque, ut eas in Cru-
cifixi imagine conspexerat, in manibus
& pedibus ejus apparere cœperunt signa
clavorum, ipsorum capitibus in interio-
re parte manuum, & superiore pedum
eminentibus, & eorum acuminibus ex
adverso existentibus. Dextrum quoque
latus, quasi lancea transfixum, rubra
cicatrice obductum erat, quod sæpe san-
guinem manans tunicam, & femoralia
respergebat.

Cum deinde Servus Dei hæc stigma-
ta (ita enim postea appellata sunt) fociis
familiaribus occultare non posset, & ar-

Uu 4

cana

Sæcul. XIII.
A.C. 1224.

S. Franciscus
in Monte.

cana Dei revelare vereretur, quibusdam fratribus ad se vocatis, anxius, & dissimulans, quæstionem ad se pertinere, dubium exposuit. Cui Frater Illuminatus, ex viri vultu, & insolito stupore coniciens, portentum ei fuisse objectum, ait: *Frater mi, pro certo habe, Deum non in tui solius, sed etiam in aliorum hominum gratiam tibi arcana sua revelare. Proinde timendum tibi, ne corripiaris, quod talentum tibi commissum defoderis.* Franciscus his verbis commotus, quæ sibi, visione disparente, in corpore suo accidissent, trepidus narravit, adjiciens, aliqua sibi ab eo, quem conspiciendum habuisset, fuisse manifestata, quæ nemini mortalium, quoad viveret, aperiturus esset. Diebus quadraginta in illa solitudine consumptis ad Festum S. Michaelis de monte descendit, Deusque prodigiosam stigmatum impressionem, editis etiam aliis miraculis, confirmavit.

Cum in Provincia Reatina lues exorta esset, ovibus & bobus exitiosa, nec malo superesset remedium, vir quidam, timens Deum, per somnum monetur, ut ad eremum Fratrum Minorum, in qua tunc Franciscus versabatur, promte se conferret, partem aquæ, qua Vir sanctus manus pedesque lavisset, acciperet, & greges respergeret. Ubi illuxit, ad eremum

eremum vadit, tumque aquam, a fami-
liari S. Francisci socio clam impetratam,
languenti, & humi jacenti pecori affu-
dit. Et ecce, vel minima guttula refo-
cillatum, surgebat valens, & ad pascua
convertebatur. Ita ab universo armen-
to pestis depulsa. Circa Alverniam,
priusquam Vir sanctus ibi commoratus
fuisset, grando ex nebulis, quæ de mon-
te ascendebant, excussa sæpe fruges per-
debat. Sed exinde, quo Seraphim in
illo vertice S. Francisko collocutus est,
stupentibus accolis, clades nunquam re-
diit. Sequentis anni hyeme, cum S. Fran-
ciscus iter faceret, a fello cujusdam viri
pauperis vectus, quod eum corporis im-
becillitas, & viæ asperitas pedibus in-
cedere non sinerent, eumque cadentes
nives & ingruentes noctis tenebræ sub
quadam prominente rupe diversorium
querere coegissent, advertit, quod pau-
per ille, viæ socius, & a felli Dominus,
murmuret, corpusque huc & illuc jactet,
conquerens, quod tenuis vestitus non
frigus, sed somnum arceret. Tum Fran-
ciscus, extenso brachio, manu sua, sacro
vulnere perfossa, frigescentem tetigit.
Ac protinus vir ille tanto calore exte-
rius interiusque refocillatus est, ut se
suavius inter has rupes & nives, quam
unquam antehac in lecto suo dormivisse
exinde fassus sit.

U u 5.

Porro

Sæcul. XIII.
A.C. 1224.

Porro quamvis Franciscus exinde maxima cura stigmata occultaret, semper calceatus incederet, & manus solenter teget, efficere tamen non potuit, ne saltem vulnera manuum pedumque notarentur. Nam multi ex S. Francisci Fratribus ea viderunt, qui licet ob vitæ sanctitatem fide essent dignissimi, ut omnem dubitandi locum tollerent, rem tamen addito jurejurando affirmarunt. *Non nulli Cardinales, S. Viro familiares, eadem conspexerunt, qui Francisci stigmata, ait S. Bonaventura, in prosa, in hymnis, in Antiphonis, ipsius honori concinnatis, celebrarunt, atque banc veritatem & voce & scripto testatam reddiderunt. Tandem Alexander Papa IV. ad populum dicens, compluribus Fratribus, meque ipso presentibus, affirmavit, sibi, sancto Viro adhuc vivente, ejus sacra Stigmata oculis suis fuisse conspecta. Hæc verba sunt S. Bonaventuræ in S. Francisci vita, unde totam istam narrationem expromsi. Tum subjungit: In obitu S. Viri hæc vulnera plus quam quinquaginta Fratres, pia Virgo Clara cum sororibus, & innumerabili hominum secularium multitudo viderunt, quorum aliqui ea etiam osculati sunt, atque, ut nulla erroris remaneret occasio, suis manibus contrectarunt.*

Vulnus

Vulnus vero lateris Vir sanctus, *Sæcul. XIII.*
 quoad vixit, tam solícite abscondit, ut *A. C. 1224.*
 illud nemo, nisi adhibita furtiva soler-
 tia, conspexerit. Quidam frater, qui
 Francisco famulabatur, nomine Joannes
 Laudensis, cum pia astutia persuasisset,
 ut tunicam paululum detraheret, ad ex-
 cutiendum pulverem, hanc plagam la-
 teris attente intuitus est, atque, ut ma-
 gnitudinem metiretur, tres digitos le-
 niter admovit. Frater Elias, tunc Fran-
 cisci Vicarius, simili arte usus, eam vi-
 dit. Frater Leo, Viri sancti socius, mi-
 rare simplicitatis homo, cum aliquando
 ejus humeros, ut infirmum juvaret, tan-
 geret, manum infra cucullum inferens,
 casu fortuito plagam fodicavit, quod
 Francisci dolorem, alias magnum, gemi-
 navit. Exinde, ut hoc vulnus operiret,
 femoralia gessit usque ad axillas exten-
 sa, sed frustra, nam fratres, qui ejus ca-
 ligas subinde lavabant, aut tunicam ex-
 tergebant, eas cruore infectas deprehen-
 debant. Tandem, S. Francisco vita fun-
 cto, lateris Stigma, sicut alia quatuor,
 cunctis inspicientibus patuit. Lucas, *Cont. Alb.*
 Episcopus Tuitiensis in Hispania, illius *lib. 2. c. 2.*
 ævi Scriptor, veritatem de Stigmatibus
 S. Francisci testatam facit, atque illa an-
 nis quinque, antequam ipse hæc scribe-
 ret, a multis Clericis, Laicis, viris Re-
 ligiosis,

Sæcul. XIII. ligiosis, & Sæcularibus visa fuisse, & at
 A.C. 1224. trectata affirmat.

§. VI.

Ecclesia Borussicæ.

2 ep. 1190.
 Rain. 1218.
 n. 34.

Ceterum jam integro sexennio Honorius Papa ad sustinendam, & propagandam Borussicæ, & Livoniæ Ecclesiam magno animo incumberebat; anno autem millesimo ducentesimo decimo octavo Archiepiscopo Moguntino, ejusque Suffraganeis hac de re scripsit in hunc modum: *Borussicæ partes populus incolit barbara feritate horrendus, inter alia multa, quæ de ipsorum immanitate feruntur, quotquot feminini sexus mater parit, perimunt præter unam, filias, uxoresque prostituunt. Captivos immolant Diis suis, atque in sanguine humanarum victimarum gladios & lanceas suas intingunt, quo sibi, cum hoste pugnantis, fortunam reddi propitiam credunt. Cives suos, Christianam Religionem amplexos, persequuntur, exactionibus haud sane tolerabilibus vexant, atque ad Idololatriam reducere variis artibus conantur. Episcopus Borussicæ, venerabilis frater noster, alique, qui Ecclesias ibidem condiderunt, hujusmodi puellas, neci destinatas, pretio coemere statuerunt, ut morti ereptas Christi Religionem edoceant. Puerorum*

& ar-
 vorum quoque scholas instituere cogi- Sæcul. XIII.
 tant, qui deinde, in Fide instructi, ef- A. C. 1224.
 ficacius, quam advenæ, Dominum no-
 strum Jesum Christum popularibus suis
 predicare valeant. Ut vero illos, qui,
 Christiana Religione suscepta, ab Infi-
 delibus persecutionem patiuntur, tueri
 possint, Episcopus, ceterique Ecclesiarum
 auctores, auxilium Diœcesanorum ve-
 rorum postulant, qui se voto petendi
 Terram sanctam non obstrinxerunt, aut
 voto edito, viribus vel opibus ad illud
 implendum destituuntur. Hæc Epistola
 die decima quinta Junii anno millesimo
 ducentesimo decimo octavo data
 est, ac Papa similes alias Archiepiscopis
 Trevirensi, Coloniensi, Magdebur-
 gensi, Salisburgensi, Bremensi, Lunden-
 si, Gnesnensi, eorumque Suffraganeis
 scripsit.

Anno sequente, millesimo ducente- ap. Rai. n. 31.
 simo decimo nono, Honorius Papa de-
 fensionem Ecclesiæ Livoniæ, quam Ca-
 pitulum Bremense sibi subdicere cona-
 batur, in se suscepit. Præsidium suum 3. ep. 589.
 Episcopo Livoniæ concessit, sed licen-
 tiam, quam petebat, non dedit, in illa
 provincia novam Ecclesiam Metropoli-
 ticam erigendi, ratus, istud regioni Li-
 voniæ non expedire. Quod tamen e- 10. ep. 125.
 lapsis exinde annis sex, nempe anno sa- ap. R. n. 16.
 lutis millesimo ducentesimo vigesimo
 quinto

Sæcul. XIII.

A. C. 1224.

4. ep. 700.

R. n. 38.

ep. 733.

5. ep. 355.

R. n. 40.

ep. 539.

6. ep. 181.

R. n. 40.

quinto, admisit. Tunc vero Papa ad Abbates Ordinis Cisterciensis, aliorumque Ordinum Religiosorum Præpositos, literas dedit, significans, relatum sibi esse ab Episcopis, quod populi Livoniae Evangelium recipere cuperent. Exhortabatur ergo, ut Monachos, & fratres Conversos sui Ordinis illuc mitterent, quos Episcopi illi vel per literas vel per nuncios suos expeterent. Papa, ad Borussos conversos quoque datis literis, hortatus est, ut acceptam Gratiam magni facerent, & constantes in Fide permanerent, Apostolicæ Sedis præsidium eis promittens. Anno sequente, millesimo ducentesimo vigesimo primo, comperto, quod Cruce signati de Paganis in Borussia insignem victoriam reportassent, Honorius datis literis monuit, ne superbirent, sed Episcopo illius Regionis captivos traderent, quos ille ad Fidem Christianam traducere satageret. Episcopum autem Breslaviensem pensare iussit, utrumvis Religioni majus emolumentum allaturum esset, si Dux Poloniae in Terram sanctam proficisceretur, vel si remaneret, Infidelibus Borussiae armatus. Anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo Papa Saxones excitavit; arma caperent in paganos Livoniae, promittens in hoc bello militantibus illam Indulgentiam, quæ proficiscentibus

Hiero-

Hierosolymam dabatur. Templariis vero acriter exprobravit, quod Livones Neophytos male haberent, jussitque in causis horum Neoconversorum Judicium ferri candentis simpliciter aboleri. Viris Ecclesiasticis quoque præcepit; se se non nullis Russis opponerent, qui Ritum Græcorum in illam provinciam invehere moliebantur.

Anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto exeunte, Guilielmum Episcopum Mutinensem ad iter in Borussiam, Livoniam, Curlandiam, Regionesque vicinas suscipiendum, ut illis gentibus Fidem prædicaret, se ipsum offerentem, Honorius Papa dimisit, addita potestate Sacræ Sedis Legati, & literis, quibus eum populo & Præsulibus illius provinciæ commendabat. Hæc Epistola die trigesima Decembris data est. Erat Guilielmus in Sabaudia ortus, atque aliquamdiu Ecclesiæ Romanæ sub Honorio Pontifice Procancellarii munus obierat. Tum, Martino Episcopo Mutinensi anno millesimo ducentesimo vigesimo primo fati functo, Capitulum Cathedralis in partes abiit & duos elegit. At Papa utriusque electione abrogata, Archiepiscopo Ravennate Metropolita inconsulto, Episcopum Mutinensem ordinavit Guilielmum Sabaudum, virum doctrina, & virtute spectabilem. Cumque

Sæcul. XIII.
A. C. 1224.

Ital. Sacr.
to. 2. p. 152.

Sæcul. XIII. que Hæretici in Longobardia, opibus &
 A. C. 1224. potentia sua abutentes, Catholicos opprimerent, Papa Episcopos Brixientem, & Mutinensem opposuit, qui audaces in officio continerent.

§. VII.

Hæretici in Longobardia.

II. ep. 146.
 R. n. 47.

Verum ubi Guilielmus, Legatione sua in Septentrione functurus, abiit, Papa hanc curam Episcopo Ariminensi injunxit, cui, & Episcopo Brixienti scripsit in hunc modum: *In civitate Brixienti, quasi quodam Hæreticorum domicilio, nuper in tantam vesaniam proruperunt, ut turres contra Catholicos militari more instruxerint, Ecclesias quasdam incendiis deleverint, faces ardentis jactaverint, vociferantes, quod Romanam Ecclesiam, & ejusdem Doctrinam sequentes excommunicent. Quare volumus, & mandamus; Turres Dominorum de Gambarà &c. (hic Papa rebellium ferocissimos nominat) diruantur, & usque ad terram pulverem detrahantur, absque Sedis Apostolicæ licentia nunquam amplius ædificanda. Aliæ turres, quarum Domini tanta rabie non fuerunt occupati, usque ad tertiam partem, vel usque ad mediam, pro criminis modo, evertantur. Nullus autem eorum, qui nominatim excommunicati sunt, hæc*

de causa, Absolutionis beneficium assequatur, nisi ipse ad Apostolicam Sedem simplex accesserit. Hæc Epistola die nona Januarii anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto data est. Notabit Lector, Summum Pontificem turre de jici jussisse in urbe, sibi, ut Principi, non subjecta.

Sæcul. XIII.

A. C. 1225.

§. VIII.

Romanus, Cardinalis S. Angeli, Legatus in Francia.

Albigensibus quoque Hæreticis, Simone Comite Montfortio defuncto, animus redierat, multumque angebatur Honorius Papa, quia potissimum ratione in illa provincia paci & Religioni consideretur. Ne ergo omnino cessaret, Romanum, Diaconum Cardinalem, titulo S. Angeli, cum S. Sedis Legati auctoritate illuc misit, & quia in hoc negotio Regis Franciæ auxilium erat necessarium, Romani Legati potestatem in Regnum Franciæ, in Provinciam, ac in Dioceses Tarentasensem, Visuntinam, Embrodunensem, Aquensem, Arelatensem, & Viennensem extendit. Quod ex Pontificis Epistola die decima quinta Februarii anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto data cognoscimus.

Ut vero Rex Franciæ universas vires in Albigenses converteret, Legato in

Hist. Eccles. Tom. XIX. X x man

Sæcul. XIII. mandatis dedit; inducias inter eum & A. C. 1225. Regem Angliæ pacisceretur. Tum Ludovico scripsit Epistolam, cujus ferme hæc erat summa.

ep. 169. Rai.
n. 30.

Quis numerum Epistolarum inerat, quibus obsecravimus te, ut inducias a Rege Philippo, parente tuo, & Regis Angliæ patre, invicem concessas, prorogares, & elapso earum termino, Ditiones Regis Angliæ non invaderes, neque subsidium Terræ sanctæ impedires? at nihilominus eas, contentis precibus nostris, invasisti, & vel ideo invasisse videris, ut preces Romanæ Ecclesiæ, Matris tuæ, nibili a te fieri, nemo nesciret. Quasi vero fieri non posse putares, ut ei aliquando supplex accidere cogaris. Tum Papa rerum humanarum vicissitudinem inducit, atque exempla Ottonis Imperatoris, Friderico adhuc infanti succumbentis, & Regis Angliæ Richardi, contra quem Philippus Augustus Ecclesiæ præsidium sibi frustra expectiisset. Tum Papa subjungit.

Nec indignari debet tua Sublimitas, quod Apostolica Sedes, concessa sibi a Deo plenitudine potestatis, conetur te a bello, Regi Angliæ inferendo, abstrahere. Nemo tibi suggerat, Papæ non esse, hunc Regem in ista causa defendere, quia de negotiis Regni Feudalibus agitur. Nam

Jere. I. 10. Jeremiæ, Sacerdoti, dictum est: Ecce constitui te super gentes, & Regna, ut evel-

las, & destruas, adifices, & plantas. Un-
 de sequitur, quod ad Romanum Pontifi-
 cem, qui Sacerdotii obtinet principatum,
 spectet, omne peccatum mortale evellere.
 Id vero interdum sine coercitione rebel-
 lum fieri non potest. Cum ergo creda-
 ris in Regem Angliæ manifeste peccare,
 nos, ad quos omnis censura peccati per-
 tinere dignoscitur, qua conscientia ad
 clamores hujus Regis aures obturare pos-
 sumus? Quare, licet a te toties jam re-
 pulsus, obnixius obsecramus; ingentem a-
 nimi nostri dolorem leva, restitue Prin-
 cipi huic terras, quas invasisti, nullam
 amplius injuriam infer, jus quod tibi
 contra eum esse affirmas, legitime, &
 tempore competentis prosequere, ne auxi-
 lia ad liberandam Palæstinam mittenda,
 quæ Reges Franciæ, Majores tui, sem-
 per egregie promoverunt, sufflamines, &
 inutilia efficias. Alioquin, quantum-
 cunque tibi favere cupiamus, quæ equi-
 tati, & Regi Angliæ debemus, ultra dif-
 ferre non poterimus.

Si locus sit his principiis, quæ Ho-
 norius ab Antecessoribus suis post Gre-
 gorii VII. ætatem acceperat, in omnibus
 causis supremorum Principum, ad litem
 deductis, Romanus Pontifex Judex erit.
 Nec jure belli uti poterunt, priusquam
 ille pronunciaverit, an id sine peccato
 factari sint. Verba autem Jeremiæ, in
 his

Xx 2

Explicatio
Jeremiæ.

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.
his quaestionibus toties allegata, demonstrarent, minimo Sacerdoti potestatem esse de regnis & coronis decernendi, secundum sensum, quem eis in hac Epistola Pontifex tribuit. At si consequentia sacri Textus legantur, evidens fit, nulatenus sermonem esse de potestate ordinaria Sacerdotii, sed de Missione Prophetica, atque Prophetam non alia ratione ad ædificandum, & destruendum constitui, nisi ea, qua perfecit sibi injuncta, videlicet Regnorum ruinam & restitutionem vaticinando.

Ecclesi 49.

Cardinalis Romanus in Franciam delatus cuidam Concilio seu Parlamento interfuit, quod Ludovicus Rex Parisiis in Octava Ascensionis, nempe die decima quinta Maji, anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto celebravit. In eo Rex cum Cardinali Legato complura negotia, ad Angliam & Albigenses spectantia, pertractavit. Ex sequentibus dispicimus, Legatum in rem suam strenue egisse, cum Rex causa propria, quam contra Anglos susceperat, neglecta, cum exercitu in Hæreticos moverit.

§. IX.

Mora Imperatori concessa.

Ric. S. Ger. Inter hæc, cum Romæ seditionibus & adversarum factionum armis sub auspiciis Senatoris *Parenzo* divina humanaque

naque jura violarentur, Honorius Papa
 Urbe excedere compulsus, Tibur se re-
 cepit, quo ad eum venerunt Rex, & Pa-
 triarcha Hierosolymitanus, ab Impera-
 tore missi, ut ei licentiam, profectio-
 nem in Terram sanctam differendi, obtinerent.
 Joannes Rex Hierosolymæ in Italiam re-
 dierat cum nova Nupta, Berengaria, Re-
 gis Castiliæ sorore, uterum ferente, quæ
 Capuæ, mense Aprili, anno millesimo
 ducentesimo vigesimo tertio filiam eni-
 xa est. Patriarcha Hierosolymitanus
 tunc erat Giraldu, primo Abbas Molis-
 mensis, tum Cluniacensis, & anno mil-
 lesimo ducentesimo vigesimo ordinatus
 Episcopus Valentinus, unde ad Sedem
 Hierosolymitanam anno millesimo du-
 centesimo vigesimo quarto translatus
 est. Rex, & Patriarcha, accepto, quale
 exoptabant, responso, redeunt ad Im-
 peratorem, in Apulia commorantem, ad
 quem, cum ad S. Germanum, prope
 Cassinum, iisdem comitantibus se con-
 tulisset, duo Cardinales a Papa mittun-
 tur, Pelagius Episcopus Albanensis, &
 Galonus, Presbyter titulo S. Martini.
 Hos inter, & Imperatorem sequentes
 Articuli rati habiti sunt.

Fridericus Imperator intra duorum
 annorum spatium, mense Augusto com-
 plendum, copias in Terram sanctam du-
 ceret, mille Equites biennio suis stipen-
 diis

Sæcul. XIII.

A. C. 1225.

Gall. Chr. to

3. p. 1113.

Alberic an.

1220. *Chron.*

Clun. Bibl.

p. 1664.

Papebr. to.

14. p. 54.

Ric. S. Ger.

Sæcul XIII. diis aleret, centum navium * classem
A.C. 1225. conflaret, & quinquaginta triremes, e-

*Chalandres. gregie instructas, in portibus teneret.
Interea ter pararet navigia, quæ duobus
millibus virorum Equestrium cum suis
armigeris & tribus equis toties devehen-

dis sufficerent. Quas leges Imperator
Sup. Lib. LXXVIII. ad S. Germanum, in Festo S. Jacobi, vi-
§. 46. gesima quinta die Julii, anno millesimo

ducentesimo vigesimo quinto, Sacramen-
to nuncupato sponndit, atque se ana-
thematis pœnas, ni faceret, incursum,
& admissurum, ut terræ suæ Interdicto
Ecclesiastico subicerentur. Ac tunc
Cardinales Sacramento Verulis, anno
millesimo ducentesimo vigesimo secun-
do, dato Imperatorem liberarunt. Ipsi
deinde Reate ad Papam redeuntibus,
Imperator celeriter in Apuliam reuectus,
ad Optimates Germaniæ & Longobar-
diæ mandata misit; proximo Festo Pa-
schatis Cremonæ præsto essent. Papa
in Franciam misit Giraldum, Patriar-
cham Hierosolymitanum, cum literis
Apostolicis, ut subsidia in Palæsti-
nam mittenda urgeret. Ceterum ei-
dem privilegium extra provinciam
suam gestandi Pallium Archiepiscopale
concessit.

9. ep. 319. Et c
R. n. 8.

§. X.

Sæcul. XIII.

A.C. 1225.

Dissidia ob Ecclesias Cathedralis in Apulia nata.

Haud diu post Papam inter & Imperatorem acre dissidium in causa quarundam Ecclesiarum Episcopaliū exarsit, cujus rei origo abhinc biennio repetenda. Nam anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio, cum Imperator ad Papam misisset Prætorem Bariensem, qui, nominatis quibusdam viris, petebat, ut duos ad Sedem Capuanam & Averlanam, quæ vacabant, regendas deligeret, responderat Papa, se in hoc negotio, absentibus Cardinalibus, nihil posse statuere. Tum ad Imperatorem expediri jussit Epistolas, quas, Domino suo reddendas, Prætor Legatus accipere detrectans, petiit, ut in conspectu Pontificis dicere sibi liceret. Dixit vero Imperatoris nomine; Præsidium tale a Papa Domino suo collatum esse, quod verius perniciēs dici deberet, cum nec Imperatorem, nec ejus Imperium firmaret, sed in ruinam impelleret. Tub subjunxit: *Quia Episcopos, ab Imperatore nominatos, non recipis, noli alios mittere ad has Ecclesias, nihil enim certius, quam quod eos depulsurus sit.* Papa de Prætoris ferocia conquestus est, data ad Frieder-

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.

12. ep. 194.
Rain. 15.

dericum, die vigesima septima Junii, anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Epistola, in qua dicit: *Ita profecto pacem nobiscum præfracte abjicere omnibus videreris, qua re nihil nobis magis amarum, tibi que noxium ac funestum posset accidere. Quid enim vero plus tibi invidia apud omnes probos conciliare possit, quam si usurpatione intolerabili libertatem Ecclesiasticam violes? ergo in Regno Siciliae, Sacrae Sedis Patrimonio, eripies nobis potestatem, qua in Francia, in Anglia, in Hispania, in aliis Christiani orbis Regnis, gaudemus? In fine hoc Imperatori suggerit consilium: vel nega, tuam banc esse mentem, si Legatus tuus suo arbitrio ita locutus est, vel si tuo jussu hæc dixit: errorem agnosce.*

Ric. de
S. Ger. 1225

Elapso inde biennio, nempe mense Septembri, anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Honorius Papa, motu proprio, & Imperatore inconsulto, quinque Ecclesiis in Apulia, jam diu vacantibus, Capuanæ, Salernitanæ, Brundisinae, Compensi, & Averfanæ, Episcopos dedit. Ad Archiepiscopatum Capuanum, jam triennio (Rainaldo anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo subita morte extincto) vacantem, Papa Jacobum, Episcopum Partiacensem in Sicilia, transtulit. Salerni Antistitem esse

ibid. 1225.

ibid. 1222.
Ital. Sacr.
to. 6. p. 410

esse iussit Cæsarium d' Alagno, Episcopus Sæcul. XIII.
 pupum Famæ Augustæ in Cypro, sed A. C. 1225.
 mali natum, virum natalibus, doctrina, ibid. to. 7.
 & virtutibus eximium. Archiepiscopus p. 580. 594. i
 tus Salernitanus, post obitum Nicolai
 Agello, die undecima Februarii, anno
 millesimo ducentesimo vigesimo vita fun-
 cti, ultra annos quinque vacaverat. Ar- ib. to. 9. p. 46.
 chiepiscopatus Brundusinus quoque jam
 diu vacabat, cum Honorius Papa Petrum
 Abbatem S. Vincentii ad Vulturum, &
 prius in Monte Cassino monachum, in ea
 Ecclesia Episcopum ordinavit. Andreas, ibid. to. 6.
 Prior Canonorum Regularium Sanctæ p. 1000.
 Mariæ novæ Romæ consecratus est Ar-
 chiepiscopus Compse seu Conzanæ, mo-
 dice urbis ad Ausidum in Principatu
 ulteriore positæ. Tandem Regimen Ec-
 clesiæ Averfanæ, prope Capuam, Joan-
 ni, Archidiacono Amalfitano, commis-
 sam est. Tum Papa de Ordinatione ib. to. 1. p. 551
 istorum Prælatorum Imperatorem cer-
 tiorem fecit, Epistola Reate, die vige-
 sima quinta Septembris, anno salutis mil-
 lesimo ducentesimo vigesimo quinto da-
 ta, quam novo Archiepiscopo Salernita-
 no deferendam tradidit. Facti rationem
 affert, quod Ecclesiæ istæ tanto tempore
 Pastore destitutæ fuissent, omnibus cul-
 pam in Imperatorem rejicientibus. Ce-
 terum tales se viros delegisse, affirmat,
 qui Friderico non accepti esse non pos-
 sent.

X x j

Sæcul. XIII. A.C. 1225. *Ric. S. Ger. 1225.* sent. At offensus Imperator, his verbis neutiquam delinitus, ratusque, læso jure suo ista fuisse tentata, hos Prælatos ab aditu ad Ecclesias suas prohibuit. Nec etiam ad Abbatiam S. Laurentii Averlæ Nicolaum, Monachum Montis Cassini, qui in Siciliam cum Epistolis Papæ ad se trajecerat, admisit.

Ferdinandus III. Rex Castiliæ, Sanctorum numero adscriptus, æque ut Fredericus Imperator, se invito, Episcopos in Regno suo investiri non patiebatur. Quare, cum Episcopus Segobienfis sine ejus consensu electus fuisset, quamvis electio fuisset confirmata, eum tamen ad Ecclesiam, quam adierat, relinquendam compulit, & bona occupari jussit. Hinc Roderico Archiepiscopo Toletano, & quibusdam aliis illius provinciæ Episcopis, per literas ad Papam datas, conque-
9. ep. 253. R. n. 41. rentibus, Honorius Regi scripsit in hunc modum: *Quantumvis omnia, quæcunque grata tibi sunt, exhibere cupiamus, non adulari tibi in hac causa licet, nisi conscientiam nostram, tuamque, læsam velimus, non ideo solum, quod electus Episcopus Segobinus vir sit dignissimus, & meritis plenus, sed etiam ob causam communem libertatis Ecclesiasticæ in Electione Episcoporum, quam salvam, & intactam Reges conservare tenentur. Hac Epistola die tertia Aprilis, anno millesimo*

mo ducentesimo vigesimo quinto data Sæcul.XIII.
 est. Notavimus tamen, in Sæculo Hi. A.C.1225.
 floræ Ecclesiasticæ nono, postquam Lu-
 dovicus pius per Capitulare Attiniacen-
 se, anno Christi octingentesimo vigesi-
 mo secundo, Electioni Episcoporum li-
 bertatem reddidisset, Episcopos non nisi
 Rege consentiente fuisse electos. Nam
 Episcopo defuncto, nihil antiquius erat,
 quam ut Metropolita, Visitatorem insti-
 tuens, rem ad Regem deferret, & in De-
 creto Electionis disertis verbis affirma-
 batur, quod Rege consentiente esset
 peracta.

§. XI.

*Engelberti Archiepiscopi Coloniensis
 cædes.*

Engelbertus, Archiepiscopus Coloniensis, Justitiæ amantissimus, & recti te-
 nacissimus, complurium, & potentum
 inimicorum invidiam in se concitave-
 rat, quorum omnium Friderico Comite
 Isenbergio, propinquo suo, nullus im-
 placabilior fuit. Is Abbatia Essenensis,
 Regalis Virginum Monasterii, Advocatus,
 cum illud contra Adversarios protegere
 debuisset, prædonum more diripiebat.
 Prætores, judicesque, eis parere jussos,
 Abbatissa & Monialibus in-
 vitis, amovit, & alios instituit, Abbatia
 subdi-

vit. per Cæs.
 lib. 2. c. 1.
 God. an.
 1225.

Sæcul. XIII. subditos novis oneribus oppressit, & ex
A.C. 1225. actionibus vexavit. Sæpe Abbatisa,
 cum Monialibus suis, Coloniam veniens,
 primo ad Theodoricum Archiepiscopum,
 deinde ad Engelbertum querelas defere-
 bat; sed illi amore cognati sui malum
 dissimulabant. Annis aliquot inde elap-
 sis, Honorius Papa, & Fridericus Impe-
 rator, querelis cumulatis Monialium fa-
 tigati, literas hac de re, acri calamo
 scriptas, ad Engelbertum dederunt, qui
 Comitem serio monuit, ut errata emen-
 daret, quin etiam abundantè caritate
 pensionem annuam ex propriis rediti-
 bus ei obtulit, eo pacto, ne jure suo Ad-
 vocatiæ abuteretur. Tantum vero ab-
 fuit, ut Fridericus ad mentem rediret,
 ut magis apud consanguineos & amicos
 quereretur, Archiepiscopum meditari
 insidias, quibus ipsum jure suo exueret,
 cumque imprudentes indignantis ani-
 mum magis accendissent, necem Archi-
 præfuli machinari statuit, temeritatem
 suggerentibus propria potentia, & ma-
 gnorum virorum fœderibus, quibus mu-
 nitus, ut sibi ipsi quidem videbatur, re-
 bus maximis, impune tentandis, par
 esset.

ad ann. 122: Abbas Urspergensis, ejusdem ævi
p. 321. Scriptor, aliam præterea sive causam, sive
 occasionem notat, quæ Fridericum in fa-
 cinus atrox impulit, nimirum illorum,
 qui

qui Bellum sacrum prædicabant, impru- sæcul. XIII.
 dentiam, maxime autem Joannis, Ordi- A.C. 1225.
 nis Fratrum Prædicatorum, qui pecca-
 toribus crimina sua verbis injuriam in-
 volventibus exprobrabat, & principia,
 in illa usque tempora inaudita, profere-
 bat. Fuit is, ut conjecturæ locus est, Vita PP.
 Frater Joannes Teutonicus, postea Or- Ord. Præd.
 dinis sui Præpositus Generalis. Tum
 Abbas Urspergensis sic prosequitur:
*Quamquam bujusmodi Regule tanquam
 cere propugnari possunt, multa tamen
 mala produxerunt, quia audientes, doctri-
 na ista in alio, quam proferentis, sensu
 accepta, ad perpetranda immania facino-
 ra promptiores effecti sunt, quibus parici-
 dium in Engelbertum Archiepiscopum
 Coloniensem, & alios Presbyteros com-
 missum, adnumerandum. Quidam enim
 ita argutabantur: nunc crimina crimi-
 nibus cumulabo, tum Belli sacri Crucem
 amplectens, non meam modo innocentiam
 recuperabo, sed etiam pro aliorum scele-
 ribus satisfaciam. Unde factum scimus,
 quod multis, hominum flagitiosissimis, sine
 penitentia defunctis, qui in campis, bru-
 torum more, terra cooperti fuerant, se-
 pultura Ecclesiasticæ honor obtigerit.*
 Huc usque Abbas Urspergensis (*).

Post-

(*) Ita Fleurius. Sed nisi legatur; *cooperti*

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.
vit. 2. c. 2.

Postquam Festum Omnium Sancto-
rum præterit, anno millesimo ducente-
simo vigesimo quinto Archiepiscopus
Coloniensis Susatum venit, Westpha-
liæ urbem, de Pace tractaturus cum Co-
mite Friderico, qui & ipse cum duobus
Fratribus suis Theodorico, Episcopo Mo-
nasteriensi, & Engelberto, electo Epi-
scopo Osnabrugensi, ac pluribus aliis
propinquis, & amicis illuc se contulit.
Triduo colloquiis consumto, nihil in me-
dium allatum, quod Friderico placeret.
Et inter hæc Archiepiscopo redditur E-
pistola, qua monebatur, inimicos in e-
jus necem conjurasse. Ille Epistolam
præsenti Episcopo Mindensi ostendit, qui,
ea perlecta, *in Nomine Dei omnipoten-
tis*, inquit, *cave vitæ tuæ, Domine! non
enim de tua modo, sed etiam Ecclesiæ
nostræ, & totius Provinciæ, salute agi-
tur.* Cui Engelbertus: *Angustia me
premunt undique. Si dissimulo, & ta-
ceo, pernicies imminet, si indicium ape-
rio, dicent, me prioribus injuriis insignem
calumniam addere.* Ex hoc momento
*corpus & animam meam divinæ Provi-
dentia committo.* Tum Epistolam, con-
jura-

Immane faci-
nus.

c. 3.

c. 4.

*perti fuissent, sensus est valde obscurus, quia
non constat aliquando terræ mandatorum cor-
pora iterum effossa, & honorifice fuisse se-
pulta.*

jurationis indicem, pedibus calcatam, in Sæcul. XIII.
ignem projicit, & Oratorium suum cum A.C. 1225.

Episcopo Mindensi intrat, cui confessionem peccatorum suorum totius vitæ suæ inter calentes lacrymas edidit, quo simul etiam ad Dedicationem cujusdam Ecclesiæ, quam postridie peracturus erat, rite se præpararet.

Tunc vero Comes Fridericus, ut solertius tegeter pessimum consilium, pacis conditiones se recipere simulavit, ab Archiepiscopo oblatas, cui ille: *Itaque, carissime Cognate! simul, & latissimi ad Comitiam, quæ Rex Norimbergæ celebraturus est, commeabimus.* Comes Archiepiscopo valedixit, atque ad suos reverentius, struendarum insidiarum modum edoctos, tetrum facinus exequi jussit. Hæc die Veneris, post Festum Omnium Sanctorum, septima mensis Novembris, Archiepiscopo, Suelmam versus (ita locus, ubi Ecclesia dedicanda erat, dicebatur) pergenti, iterum ab amicorum fidissimis extremum periculum denunciatur; sed ipse a suscepto itinere revocari non potuit. Tandem, diei luce deficiente, superato monte, pervenit ad viam utrinque quasi edito aggere coarctatam, destinatum cædis locum. Mox enim, dato signo, latrones in Archiepiscopum impetum faciunt, & a Domino suo concitati, crudeliter gladiis &

c. 6.

c. 7.

Sæcul. XIII. & pugionibus confodiunt, atque laniant, corpus exanime in via publica jacens relinquitur. Eadem nocte quidam vir Equitris, Archiepiscopo amicus, corpus Suelmam deportari curavit, quod cum, fœde cruentatum, loci parochus Ecclesiæ suæ inferri nollet, ne pollueretur, ad Monasterium deinde Montense translatum, titulo Depositi Sacri, custodiendum traditur. Qui funus curarunt, laveruntque, vestitu Episcopali ornandum, inflicta vulnera omnino quadraginta septem numerarunt. Tandem corpus Coloniam delatum, & ferventi aqua elixum, ut, consumpta carne, ossa ad Comitiam Imperii delata, coram exhiberentur. Caput usque adeo erat comminutum, ut vix in unum colligi particulæ potuerint. Ceterum Engelbertus Archiepiscopus anno Pontificatus sui decimo sublatus est (*).

§. XII.

(*) De Ludovico Sacerdote quodam Canonico Regulari, pro Engelberti anima Rem divinam faciente, narrat Cæsarius: *Cum dicitis Secretis post SANCTUS Canonem inchoaret, ecce sanctum Episcopum, Pontificalibus indutum, vultu hilari sacro Altari adstare videt: Et cum Crucis signa exprimeret super patrem et calicem, beatus Pontifex per totum Canonem Sacerdoti se conformans eodem modo*

§. XII.

Sæcul. XIII.

A. C. 1225.

Henricus Archiepiscopus Coloniensis.

Sabbato, die decima quinta Novembris, ad electionem Successoris præstituto, Henricus, Præpositus Bonnensis, cura potissimum Archiepiscopi Trevirensis, Theodorici, interfecto subrogatus est. Quo in Episcopali Cathedra, ut mos erat, confidente, Engelberti olim Ministri interulam, ejus sanguine respersam, in sinum novi Episcopi coniecere, Domini injurias, necemque flebilibus vocibus questi. Henricus mox jurejurando interposito se se alligavit, innoxii sanguinis fusi ultorem se futurum. Et profecto, ut id præstaret, nec labori, nec pecuniæ pepercit. Francofurtum petiit, ubi Rex juvenis Comitia celebrabat, eoque Antecessoris sui corpus deferri

2. 1. 13.

Et iisdem vicibus, sancta consignavit, dexteram elevans. Cum autem ventum esset ad illum locum, ubi defuncti nominantur, & eum Sacerdos nominasset, expleto Sacramento, ait illi Episcopus: Frater non est necesse, ut inter mortuos me nomines, sum enim cum Deo, & choro Martyrum, ac gaudio fruor ineffabili. &c. Rivaldus ad an. 1225. num. 12.

Hist. Eccles. Tom. XIX.

Y y

Sæcul. XIII. A.C. 1225. ferri iussit. Illud oculis Regis Henrici & Principum exhibetur, unacum intèr-
 rula cruenta, his, qui corpus præcedebant, districtis gladiis pro more, Fridericum latronem vociferantibus. Nemo non spectatorum ad lacrymas usque commotus est, maxime Rex puer, qui extinctum Præsulem, ut filius parentem, lugebat. Is proscriptionem Friderici, in celebri Conventu Norimbergensi denunciata, confirmavit, ejus Feuda omnia, ac alia bona ærario publico addicta, omnesque Vasallos a juramento Fidei absolutos declaravit. Tum nomine Henrici, Archiepiscopi electi, mille marcæ argenti promissæ sunt cuicumque mortalium, qui captum Fridericum traderet.

*to. II. Conc.
p. 294. 299.*

Inde Henricus, accepta a Rege Investitura, Moguntiam cum corpore Antecessoris sui petiit, Concilio, quod ibidem Conradus, S. Sedis Legatus, Episcopus Portuensis, cum multis Episcopis & Abbatibus, in Adventu ejusdem anni millesimi ducentissimi vigesimi quinti, celebravit, interfuturus. Legatus Engelberti cæde vehementissime tactus, eum summis laudibus oratione ad Concilium habita exornavit. Martyrem appellabat, exemplum Episcopis, fundos Ecclesiarum suarum nepotibus suis, aliisque propinquis in Feudum concedentibus,

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.

tibus, aut usurpatos dissimulantibus, futurum. Tum in Concilio cunctis presentibus Fridericum Comitem excommunicavit, eandemque Censuram omnibus diebus Dominicis in quinque Legionis suæ Provinciis, videlicet Moguntina, Colonienſi, Trevirensi, Bremensi, & Magdeburgensi promulgari jussit. In eo Concilio Legato redditæ sunt Theodorici Episcopi Monasteriensis, & Engelberti, electi Episcopi Osnabrugensis, Fratrum Comitis Friderici, Epistolæ, quarum alter promittebat, se purgatione Canonica demonstraturum, quod cædis, in Archiepiscopum commissæ, conscius non fuisset, alter ordinari se petebat. Legatus respondit; proniorem sibi ad parcendum, quam plectendum, indolem esse, diemque præstituit, qua, in Concilio Leodii celebrando, suspicionem in eos cadentem, & objecta diluerent. In Concilio Moguntino Legatus die nona Decembris Canones quatuordecim, ad Disciplinam spectantes, & plerosque contra incontinentiam Clericorum, ac Simoniam, pugnantes promulgavit. Unde pronum est judicare, multos adhuc in Germania duobus his vitiis fuisse infectos.

Sæcul. XIII.
A. C. 1225.

§. XIII.

*Periculum Romani, S. Sedis Legati,
Parisiis.*

M. S. Turon.
ap. Duboul.
to 3. p. 118.
Es to. 11.
Cons. p. 202.

Eodem anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto Canonici Parisienses apud Legatum S. Sedis, Romanum, Cardinalem S. Angeli, queruntur, quod Scholastici proprium annulum sibi signari curassent, quem omnibus Actis, ad negotia suæ Universitatis spectantibus, imprimerent, abjecto jure Ecclesiæ Parisiensis, cujus Sigillum antea illis Actis auctoritatem præstitisset. Multis argumentis hinc & illinc in medium adductis, Scholastici Legatum causæ suæ arbitrum constituunt, traduntque Sigillum. Ille, ne uno quidem momento, quid acturus esset, deliberans, fracto coram omnibus Sigillo, excommunicationis sententiam protulit, in omnes illos, qui Parisiis Sigillum novum in usum Universitatis construerent. Scholastici haud tacite indignari, tum, rei hujus rumore in urbem sparso, undique ad Legati aedes armati concurrere. Familiares Legati fores claudere, & ipsi arma capere. At Scholastici militari impetu saepius assiliunt, fores perfringunt, saxorum grandine obsistentes sternunt, jamque nihil propius erat, quam ut tam ministros,

stros, quam ipsum Legatum in suam pot- Sæcul.XIII.
 estatem redigerent, cum Rex Ludovicus, A.C.1225.
 Meloduno rediens, comperto, quanto
 Præsul premeretur periculo, Equestres
 viros misit, peditesque, qui Scholasticis
 tum minarum strepitu, tum armorum vi
 depulsis, S.Sedis Legatum, suosque, non
 tamen sine effuso sanguine, liberarunt.
 Ipse Parisiis militum præsidio cinctus ex-
 cessit, postquam in Scholasticos sibi re-
 belles, ceterosque omnes seditionis so-
 cios excommunicationis fulmen intor-
 sisset.

§. XIV.

*Bulla in præsidium Cardinalium
edita.*

Hæc ipsa fortassis violentia, qua Ro-
 manus Cardinalis læsus est, Hono-
 rium Papam movit, ut eodem anno Con-
 stitutionem admodum rigidam in præsi-
 dium Cardinalium ederet. *Si quis, in- Rain.n.50.*
 quit Papa, *Sacræ Romanæ Ecclesiæ Car-*
dinalem fuerit hostiliter insēcutus, vel
percussērit, aut ceperit, persequētis so-
cius, aut quacunque demum ratione fa-
cinoris particeps fuerit, talis, sicut reus
criminis læsæ Majestatis, perpetuo sit
infamis, proscrip-tus, hostibus Reipublicæ
accensus, potestate condendi testamentum
privatus, & indignus, qui ad alterius

Yy 3 bare-

Sæcul. XIII.
A. C. 1225.

hereditatem vel ab intestato vocetur, sed ab omni successione repulsus. *Ædes* ejus diruantur, bona ad ærarium Principis trahantur, si qua vero Feuda, si quod Officium, vel Beneficium spirituale vel temporale ab Ecclesia obtinet, sit eis ipso jure privatus. Quod si filium habet Clericum, Ecclesiastico Beneficio præditum, illo exuatur, spe collationis secundæ omnino sublata. Nulli filiorum ejus pateat ad ullam Dignitatem Ecclesiasticam janua, ad ullius loci Regimen non admittatur. Sit ei postulandi facultas negata, non obeat Notarii officium, nullo ministerio in Republica fungatur. Ejus assertio aut testimonium in Judicio fidem non faciat, omni spe dispensationis adempta. Præterea sancimus, ut insectator alicujus Cardinalis non secus, ac si manus violentas injecisset, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat, quæ in omnibus Ecclesiis, & in tota illa regione, quamdiu in sua contumacia perduravit, denunciatur. Ceterum nec Insectator, nec tanti criminis participes, ab alio, quam a Romano Pontifice, cum Fratrum suorum Cardinalium, & injuriam passi, consensu Absolutionis Beneficium obtinere possint.

Cum autem fuerint absolvendi, primo idoneam cautionem præstent, quod pœnas injungendas subituri sint. Tum per

per omnes illius loci, & viciniae Ec-
 clesias incedant nudi coram populo, femo-
 ralia tantum habentes, & virgas fe-
 rentes in manibus, quibus per easdem Ec-
 clesias publice verberentur. Ibunt post-
 modum ultra mare, ibidem saltem per
 annos tres pœnitentiam acturi, nec exin-
 de absque Sedis Apostolicæ licentia re-
 versuri. Postquam tales gratiam recon-
 ciliationis meruerint, indulgeatur eis li-
 centia, qua suam suorumque injuriam
 prosequantur, & ab aliis sibi debita
 repetant. Si aliquis quemquam de Clericis
 vel Religiosis nostræ Papalis familiæ,
 vel Cardinalium male afficere forte præ-
 sumserit, Judex in talem ex culpa pœ-
 nam metiatur. Si quis vero, quod absit,
 occiderit Cardinalem, tam graves pœnas
 in eum potestas jurisdictionis decernat,
 ut in tristis vitæ solatium mortem ex-
 optet, & invocet. Ceterum his nostris
 Constitutionibus secularibus Judicibus
 non adimimus potestatem, contra tales
 legibus utendi, quas Catholici Principes
 adversus sacrilegos ediderunt. Quapro-
 pter, si Princeps, Senator, Consul, Ju-
 dex, Dominus, seu Rector, præsentis
 Constitutionis Statuta servari non cura-
 verit, tam ipse, quam officiales ipsius, in-
 fra unius mensis spatium, postquam res
 ad eorum notitiam pervenerit, excom-
 municatione notentur. Quod si popu-
 lus

Sæcul. XIII. *lus rem tantam neglexerit, ac dissimulaverit, Magistratum & Ministros ad implendum officium suum non compulerit, si in eo loco Romanus Pontifex commoretur, cum suis Fratribus Cardinalibus omnibus infra mensem exeat, & antequam satisfiat, illuc nunquam revertatur. Præterea si populus, tertium monitus, Rectorem suum, sic excommunicatum a Regimine amovere contemserit, civitas Interdicto Ecclesiastico subjaceat. Hæc Constitutio die vigesima Novembris anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto data est.*

§. XV.

Concilium Melodunense.

to. 11. p. 290. **C**um in Octava Omnium Sanctorum, videlicet die octava ejusdem mensis Novembris, Ludovicus Rex Concilium, Meloduni celebrandum, convocasset, Episcopi Franciæ, præsentem Romano, Legato S. Sedis, instantem a Rege, & ejus Baronibus petierunt cognitionem omnium causarum de rebus mobilibus, ob quas Ecclesiarum Vasalli contra quemcunque coram Episcopis actionem moverent, affirmantes, Ecclesiam Gallicanam hujus juris possessione gaudere. Quibus Rex se opponens argumentis evidentibus assererat, dissonum rationi esse, quod peterent, cum causa mobi-

mobilium, nisi ea vel vi juramenti, vel Sæcul. XIII.
 Feudi & Homagii, vel Testamenti, vel A.C. 1225.
 Matrimonii peterentur, mere laicalis sit,
 nec ad forum Ecclesiasticum aliquatenus
 pertinere videatur. Dicebat Rex,
 eorum possessionem irritam esse & ina-
 nem, scilicet nec Regi Philippo parenti
 suo, nec sibi unquam cognitam, maxi-
 me, cum nemo possit jus Domini sui de-
 terius reddere. Tandem, Sacræ Sedis
 Legato animos conciliante, causâ ista ut-
 rinque suspensa relicta est. Hic dispi-
 cimus, ad quasnam causas jam illa æta-
 te Jurisdictio Ecclesiastica extensa fue-
 rit. In eodem Concilio multum de In-
 duciis inter Franciam, & Angliam, ac de
 causa Albigensium tractatum; sed tunc
 quidem nec de una causa nec de altera
 quidquam statutum est.

§. XVI.

Concilium Bituricense.

Ad Festum S. Andreæ, nempe die ulti-
 ma Novembris, anno millesimo du-
 centesimo vigesimo quinto, Romanus,
 Sedis Apostolicæ Legatus, Concilium Bi-
 turigis celebravit, quo Regem, Episco-
 pos, Abbates, totius Franciæ Capitula,
 & Raimundum Comitem Tolosanum,
 cujus negotium Legationis suæ præci-
 puum caput fuit, convocaverat. In eo
 Concilio adfuere Archiepiscopi sex, Lug-
 dunen-

p. 291.

Y y 5

Sæcul. XIII.
A.C. 1225.

Math. Par.
an. 1226.
p. 277.

Gall. Chron.
to. 8. p. 383.

G. de Pod.
Laur. c. 35.

Var. lect.
Math. Par.
V. Thomas.
discip. p. 4.
lib. 1. c. 10.
n. II.

dunensis, Remensis, Rotomagensis, Turonensis, Augustæ Ausciorum, Archiepiscopus Burdegalensis Romæ degebat, Sedes vero Narbonensis vacabat, post obitum Arnaldi Archiepiscopi, die vigesima nona Septembris, hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto defuncti, postquam illam Sedem annis tredecim tenuisset. Sepultus est Cistercii, ubi Abbas fuerat, eique in Ecclesia Narbonensi Petrus Amelinus, Archidiaconorum Narbonensium Præpositus, subrogatus est. Præter hos Archiepiscopos sex Concilio Bituricensi interfuerunt Episcopi, novem Provinciarum Suffraganei, ferme centum numero, cum Abbatibus, Prioribus, & Capitulum Delegatis, mandata Papæ auditoris. Sed orta est lis de Ordine, quo Præsules sederent; nam Archiepiscopus Lugdunensis Primas Archiepiscoporum Senonensis & Rotomagensis haberi solebat, & Archiepiscopus Rotomagensis eandem prærogativam in Archiepiscopos Bituricensem, Augustæ Auscionum, seu Auscorum, & Narbonensem sibi competere contendebat, forte ideo, quod Rex Angliæ jus sibi in eas Provincias esse assereret. Ne vero turbæ nascerentur ex hoc dissidio, statutum, ut Patres non eo ordine, qui in solemni Concilio servari sole-

sole-

Sæcul. XIII.

A. C. 1225.

soleret, sed, quasi subito ad communicanda consilia confluentes, considerent.

Omnibus itaque sedentibus, & literis Legationis suæ, quibus Romanus munus erat, publice recitatis, Raimundus Comes Tolosanus, & Amalricus Montfortius in medium prodierunt. Raimundus ab excommunicatione absolvi postulabat, Ecclesiæ in omnibus satisfactorus, promittebat se velle Hæreticos secundum leges Ecclesiæ punire, ad eos in Ditionibus suis extirpandos operam efficacem conferre, terram suam Romanæ Ecclesiæ obedientem, pacificam, & securam reddere, & Clericis redditus suos in integrum restituere. Ex adverso Amalricus petebat, ut Comitatus Tolosanus, ceteræque ditiones Comitatus Raimundi senioris sibi redderentur, utpote summa auctoritate Innocentii Papæ III. & Philippi Regis, quorum literas ostendebat, patri suo, sibi que, collatæ. His addebat, Raimundum potestate Concilii Oecumenici majore saltem parte Ditionum suarum, quas hodiedum occuparet, fuisse privatum. Cumque Raimundus polliceretur, se Regi & Romanæ Ecclesiæ omnia præstiturum, quæ ad conservandum Principatum suum exigentur, petiit Amalricus, ut se sententiæ duodecim Ducum, qui Pares Franciæ dicebantur, submitteret, responditque Raimun-

Sæcul. XIII. Raimundus; *Recipiat Rex Homagium a me, & libens subibo hoc Judicium, alioquin timeo, ut me Duces Parent sibi agnoscant.* Tandem post multas alterationes Legatus Archiepiscopis precepit, ut eorum quilibet cum suis Suffraganeis hac de re deliberaret, sibi que singulorum sententiam scriptam traderet, & protinus Excommunicationis Censura omnes illos innodavit, qui sententiam suam propalarent, quod diceret, singulorum opinionem secreto ad Regem mittendam esse. Itaque negotio Comitis Tolosani infecto dimissus est.

§. XVII.

Papa duas sibi dari Præbendas postulat.

Matth. Par. p. 277. His actis S. Sedis Legatus Capitulum Curatoribus potestatem fecit, domum remeandi, solis Prælati manere jussis. At Curatores, astutiam suspicati, & veriti, ne deinde quidquam juribus suis adversum, ipsis absentibus, statueretur (quippe Curatores, viri experientia exercitati, quibus etiam magnus numerus auctoritatem conciliabat, ad obstandum Legati consiliis aptiores ipsis Præsulibus erant) postquam diu deliberatum, Delegatos Ecclesiarum Metropolitanicarum ad S. Sedis Legatum miserunt,

ferunt, qui dicerent: *Domine! ad no-* sæcul. XIII.
titiam nostram pervenit, accepisse te a A.C. 1225.
Curia Romana literas, quibus Præben-
das in omnibus Ecclesiis Cathedralibus
& Conventualibus exigere juberis. Qua-
re obstupescendi causam nobis præbui-
sti, quod tantam rem in Concilio, & no-
bis presentibus, non exposueris, quæ ad
neminem magis, quam ad nos spectat. Ro-
gamus te proinde; noli scandalum in Ec-
clesiam Gallicanam invehere. Quam-
vis enim unus alterve privatorum con-
sentiret, nullius roboris esset consensus
in causa communi, & tali negotio, tali
postulatione, cui Rex omnesque subditi
etiam spreto, si opus esset, vitæ peri-
culo repugnaturi sunt, ut Regni simul
& Ecclesiæ ruinam amoliantur. Ce-
terum timorem nostrum illud auget, quod
in aliis Regnis de hac re nulla mentio-
ne facta, quibusdam Episcopis & Abba-
tibus Præbendas vacaturas Papæ reserva-
ri mandaveris.

His auditis Legatus S. Sedis Roma-
 nus, Curatorum consensum impetrare
 cupiens, tunc demum authenticam Pa-
 pæ Epistolam exhibuit, qua in qualibet
 Ecclesia Cathedrali duas Præbendas, al-
 teram a Capitulo, alteram ab Episcopo,
 & eadem ratione in Monasteriis, in qui-
 bus separatae sunt Præbendæ, etiam al-
 teram ab Abbate, & alteram a Congre-
 gatio-

Sæcul. XIII.
A. C. 1225.

gatione, nempe duas Cellas Monasticas postulabat. Tum vero commodum & lucrum, ad eos exinde rediturum, recensere cœpit, scilicet, non amplius negotia in Curia Romana pertractantibus licitum fore, pecuniam offerre, aut Romanis quidquam accipere, atque hoc pacto avaritiæ probrum ab Ecclesia Romana removendum. Ad hæc Archiepiscopi Lugdunensis Curator respondit: *Domine! nolumus, nullos Romæ nobis amicos esse, nec, aliis munera ferentibus, nos soli ad hanc Curiam vacuis manibus accedere.* Alii alia referebant obstacula; quippe ad percipiendos Præbendarum istarum fructus, aiebant, in qualibet Diœcesi, aut saltem in qualibet Provincia, Curator Romanus constituetur, qui suis sumptibus baud vivet, sed plurima ab Ecclesiis exiget, & Curatoris titulo præditus, Sacræ Sedis Legati potestate utetur. Summus Pontifex, ubi visum fuerit, hunc Curatorem Electioni Prælatorum suo nomine interesse jubebit, atque hac arte intra baud longum tempus omnium Prælatorum Electionem devolutam esse mirabimur ad arbitrium Curie Romanæ, quæ in plerasque Ecclesias natione Romanos immittet, aut sibi aliunde penitus devinctos, & addictos, consensu Præsulum, Principumque in qualibet Regione excluso.

His

His adjiciebant; si Præbendarum i-
 starum census justa lance dividerentur, Sæcul. XIII.
A.C. 1225.
 totam Curiam Romanam opulentissi-
 mam futuram, quia pars, quæ ad eam
 flueret, longe major quam ipsius Regis
 esset. Unde etiam illud mali secutu-
 rum; Romanorum præcipuos dedigna-
 turos esse, litigantibus aures suas dare,
 eorumque ministros, quod Domini sui
 negligent, fastidiose executuros. *Quin*
id ipsum, ajebant, jam nunc experien-
tia docet, cum lente causas tractant,
accepta jam mercede, aut certo, eam
donandam esse, promisso. Ita periclitare-
tur Justitia, & Partibus, sinem litis ex-
pectantibus, ad fores Romanorum, libe-
re dominantium, moriendum esset. Præ-
terea, quia nullis opibus avaritia satia-
tur, tunc conducta aliorum opera per il-
los facerent, quod modo ipsi faciunt, eo-
rumque labori majora dona mercedis
nomine adstruerent, quam quæ hodie spon-
te offerimus. Divitiæ immensæ Roma-
nos ad insaniam redigerent, invidia &
emulatio inter nobiles & potentes fami-
lias in seditiones erumperent, Reipublicæ
Romane evertendæ pares. Tandem,
tametsi Præsules, hic præsentés, se se obli-
garent, onus tantum non recipient Suc-
cessores, & acta ipsorum rata non habe-
bunt. In fine, Legatum rogarunt; Ec-
clesiæ Universali & speciatim Ecclesiæ
 Roma-

Sæcul. XIII. Romanæ consuleret, ne si Roma omnes
 A.C. 1225. opprimere attentaret, omnes quoque
 sibi adversarios rebellesque haberet.
 Legatus his argumentis vehementer
 commotus videbatur; dicebat, sibi, cum
 adhuc Romæ esset, hanc exactionem nun-
 quam fuisse probatam, nec ante has li-
 teras, haud modici doloris materiam,
 sibi fuisse traditas, quam postquam in
 Franciam pervenisset. Quæ vero de
 hac causa nunc exposuisset, conditionem
 habere tacite annexam, Imperii aliorum-
 que Regnorum consensum esse accessu-
 rum. Ceterum nullam se amplius de
 hac re facturum esse mentionem, nisi de
 illo, quem ipse non speraret, consensu
 constaret.

In eodem quoque Concilio Legatus
 exposuit, Summum Pontificem duobus
 Episcopis potestatem dedisse, omnes Ab-
 bates Franciæ deponendi; quod consi-
 lium suggesserant Abbates quatuor, ad
 invisendas omnes totius Regni Abbacias,
 & emendanda errata missi. Id ubi E-
 piscopi audierunt, intelligentes, hac via
 omnem Jurisdictionem in Abbates sibi
 adimi, una voce affirmarunt, nunquam,
 quoad viverent, commissuros se, ut ista
 Mandata effectui darentur. Ita Man-
 data Papæ tum de Præbendis, tum de
 Depositione Abbatum perfici non potue-
 runt. Tunc vero multi Doctores, seu
 Artium

Artium liberalium Magistri Parisienses, numero ferme octoginta, qui Legatum, ut superius memoravimus, insectati fuerant, Absolutionem ab Excommunicatione in se lata in Concilio petitam, protinus impetrarunt.

§. XVIII.

*Ludovicus VIII. contra Albigenses
Cruce signatus.*

Anno sequente millesimo ducentesimo vigesimo sexto, die Mercurii, vigesima octava Januarii, Ludovicus VIII. Rex, & Legatus Romanus Parisiis Concilium Nationale celebrarunt, in quo Legatus, auctoritate Summi Pontificis, Raimundo Comite Tolosano, ejusque sociis excommunicatis, Regi, ejusque Hæredibus masculis jus in Ditiones hujus Comitatus, tanquam Hæretici denunciati, & damnati, in perpetuum confirmavit. Simul etiam Amalricus Comes Montfortius, & Guido ejus Patruus, in Regem ejusque Hæredes masculos omne jus, in easdem terras sibi computens, datis literis, transtulerunt. Die Veneris sequente, trigesima Januarii, Rex, re mature pensata, Crucem sacræ Militiæ & ipse & omnes ferme Episcopi ac Barones Regni sui ad exterminandos Albigenses de manu Legati acceperunt, qui Regis

*to. II. Conc.
p. 300. ex
Chr. Tur.*

*G. Nang.
1225.*

Hist. Ecclesiast. Tom. XIX. Z z &

Sæcul. XIII. & Principum fervore magis accensus, in
A.C. 1226. Regni provincias Prædicatores mīit,
 qui Fideles ad Bellum sanctum contra
 Hæreticos hosce excitarent, concessa
 Indulgentia plenaria, cum dispensatione
 in omnis generis votis, illo solo exce-
 pto, quo se ad peregrinationem Hiero-
 solymitanam obstrinxissent. Adjecit,
 non nullis Episcopis consentientibus,
 quod, ne expeditioni piissimæ nervus
 deesset, Regi promitteret, se ejus ara-
 rio per quinquennium centies mille Mar-
 cas collaturum esse, ex Decimis, quæ
 de Bonis Clericorum colligebantur, &
 si hæ non sufficerent, reliqua ex thesau-
 ro Ecclesiæ accipienda essent. Nempe
 Decimæ cogebantur nomine Pontificis,
 qui iis, ut expedire credebat, utebatur.
 Dominica IV. Quadragesimæ, quæ hoc
 anno millesimo ducentesimo vigesimo
 sexto in diem vigesimam Martii incide-
 bat, Rex iterum Parisiis Concilium seu
 Parlamentum celebravit, in quo, post-
 quam cum Legato Episcopis, & Baroni-
 bus suis de causa Albigenſium prolixè
 tractavit, literas mitti jussit, ad omnes
 Vasallos suos, qui ad obsequia militaria
 præstanda tenebantur, datas, quibus Bi-
 turigas convenire, & se Regi, more pa-
 trio armatos, Dominica quarta post Pa-
 scha, nempe die decima septima Maji,
 jungere jubebantur.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

Concilium Westmonasteriense.

Anno superiore Honorius Papa Ottonem Magistrum, in Angliam missum, *Math. Par. 1225.*

Henrico Regi literas, in quibus maximi momenti negotia de Ecclesia Romana continebantur, reddere iusserat. Recitatis literis Rex respondit; non posse se solum de rebus decernere, quæ ad omnes Clericos, Laicosque Regni sui pertinerent. Itaque exquisito Cardinalis Stephani Langtonii, Archiepiscopi Cantuariensis, consilio, Nuncio S. Sedis significavit, expectandum esse tempus Conventus, quem Westmonasterium ad Octavam Epiphaniæ convocaturus esset. Illa ergo die, Januarii decima tertia, Festo S. Hilarii, Concilium, seu Conventus, quibus multi Episcopi, aliique Prælati, mandata Papæ audituri, cum Optimatibus interfuerunt. Tunc Otto Nuncius publice Bullam recitavit, in qua eadem mandata, quæ Legatus Romanus Clericis Galliæ, Bituricis congregatis, exposuerat, repetebantur. Quippe in hac Bulla Pontifex summam dicebat: *Diu est, quod Ecclesia Romana avaritiæ & cupiditatis nota laboret, quia oblata recipit munera, & nemo potest aliquod negotium in Romana Curia expedire, nisi magnam pecuniam*

*Idem 1226.
Conc. to. II.
p. 303.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

cunæ vim effundat. Sed quoniam scandalum hujus & infamiae causa est Romana paupertas, Matris inopiam sublevare debetis, filii! nam nisi a vobis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset omnino Romana incongruum Dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicandum, adjuvi consilio Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, invenimus remedium, cui si volueritis consentire, a scandalo Matrem vestram poteritis liberare, & in Curia Romana, sine donorum impendio, exhibitionem Justitiæ obtinere. Petimus imprimis ab omnibus Ecclesiis Cathedralibus duas nobis Præbendas conferri, unam de portione Episcopi, & alteram de Capitulo. Et similiter de Cænobiiis, ubi diversa sunt portiones Abbatis & Conventus; a Conventibus, quantum pertinet ad unum Monachum, & tantundem ab Abbate petimus.

His ita propositis, cum Legatus ad eliciendum Prælatorum consensum memorata in Bulla commoda, ipsis obtentura, adduxisset, seorsum ad colloquendum diverterunt. Tum vero Magister Joannes Bedefordensis nomine omnium respondit: *Domine, quæ nobis exposuisti, Regem Angliæ speciatim tangunt, generatim vero omnes Ecclesiarum*

Patro-

Patronos Regni, tangunt Archiepisco- Sæcul. XIII.
 pos, & eorum Suffraganeos, nec non in- A. C. 1226.
 numeros Angliæ Prælatos, quia ergo Rex
 agrotat, & Archiepiscopi non nulli, E-
 piscopi, multique Prælati absunt, respon-
 dere nec possumus, nec debemus, quod
 cum damno omnium absentium Prælato-
 rum fieret. His dictis venit Joannes
 Marecallus, aliique a Rege missi ad o-
 mnes Prælatos, qui Feuda directo jure a
 Rege tenebant, districte prohibentes,
 ne ea Romanæ Ecclesiæ obligarent, un-
 de ipse obsequiis sibi debitis privaretur.
 Quæ cum Magister Otto intellexisset,
 præstituit his, qui aderant, diem ibi in
 media Quadragesima, dum Rex adveni-
 re, ceterique absentes Prælati possent,
 ut tum negotium sortiretur effectum.
 Sed Prælati præsentibus absque Regis, a-
 liorumque absentium assensu præfixum
 diem admittere noluerunt, quare singuli
 ad propria reversi sunt (*).

Z z 3

§. XX.

(*) In Actis Conciliorum adjecta est in fi-
 ne hæc Adnotatio. Hæc ille (Mathæus Paris)
 apud quem, in eorum narratione, quæ ad Ro-
 manam Ecclesiam spectant, extant semper ali-
 qua maligni animi vestigia: Ut recte Cardina-
 lis Baronius, & Apamiensis Episcopus Spon-
 danus, aliique multi observarunt.

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

§. XX.

*Quæ necem Archiepiscopi Coloniensis
secuta sint.*

*vit. lib. 2.
c. 16. lib. 3.
Præf.*

Inter hæc Engelberti Archiepiscopi corpus, Coloniæ reuectum, S. Sedis Legatus Conradus, Episcopus Portuenlis, die vigesima sexta Februarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto, in S. Petri Ecclesia sepelivit. Cæsarius Monachus concinne plurima prodigia, ejus ad Deum precibus adscripta, commemorat, & ait: ea ad manifestandam Engelberti sanctitatem ideo fuere necessaria, quia, dum viveret, Verbum Dei per se prædicare non solebat, nec adeo spiritualibus exercitationibus erat intentus. In his Miraculis duo mihi notata digna occurrunt. Primum, quod rudes Laici sibi persuasum habuerint, Vocum extra limina domus sub Cælo majoris esse efficaciam, quam sub tecto editum. Alterum, quod jam illa ætate mos invaluerit, ad sepulchra Sanctorum simulacra ex cera illarum humani corporis partium, quæ sanitatem receperant, manuum forte pedumve, offerre.

*Lib. 2, c. 13.
to II. Conc.
p. 301.*

Conradus Sedis Apostolicæ Legatus Concilium celebravit Leodii, quo, ipso jubente, sub militum præsidio, duo Episcopi Monasteriensis & Osnabrugensis,

sis, Comitis Friderici fratres, in quos ^{Sæcul. XIII.}
suspicio cadebat, cædis, in Engelbertum ^{A.C. 1226.}

Archiepiscopum peractæ, conscios fuisse, deducti sunt. Cum objecta diluere non possent, Legato præcipiente, & Episcopis multis præsentibus in Concilio, ac consentientibus, mittuntur ad Papam, quæstioni subjiciendi, & interim denunciatur suspensi. Romam ergo pergunt, & cum ipsis Fridericus Comes; ubi haud diu commorati depositi sunt, postquam crimen, de quo accusabantur, nec opera Curatorum Ecclesiæ Coloniensis, nec per literas Optimatum remove potuerunt. Haud diu post Episcopus Monasteriensis, antequam ad sua rediret, dolore animi superante, occubuit. Interea vero Henricus Archiepiscopus Coloniensis in Ecclesia sua Metropolitana, ab Archiepiscopo Moguntino, die vigesima Septembris, Vigilia S. Matthæi, anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, Suffraganeis omnibus Coloniensibus, & Jacobo Vitriaco Episcopo Acriensi, præsentibus, consecratur. Eadem die Henricus coram Altari Cæsario Monacho d'Heisterbach præcepit; vitam Engelberti Archiepiscopi scriberet, eoque renuente, Priorem ipsius præsentem jussit, reluctantem ad obediendum compellere. Calamum strinxit Cæsarius eodem anno, quem præ-

6. 17.

Zz 4

cipue

Sæcul. XIII. A.C. 1226. cipe in istarum rerum narratione secutus sum.

Godfr. an.
1226.

Comes Fridericus, cum Romæ veniam, quam speraverat, obtinere non potuisset, Leodium venit sub alieno habitu, sed in suam perniciem. Nam ab infidiatoribus deprehensus, & plus quam mille marcis Henrico Archiepiscopo venundatus, Coloniam deinde in Felto S. Martini perducitur, ac, elapso triduo, ultimo supplicio afficitur. Mortis hic fuit modus. Tota corporis mole humi strata, carnifex jacentis brachia & crura securibus fregit, recepitque miser adactas plagas ultra sexdecim, gemitus premeus. Facti pœnitentia tactus crimen suum sæpius, & publice & privatim, confessus est. Omnibus membris ita contritis, adhuc spirans, in rota, super columnam lapideam nixa, prope urbis portam, alligatus elevatur, ubi usque ad diluculum orans, & se circumstantium precibus commendans, tandem animam emisit. Hic Comitis Friderici Isenburghii, uno anno, postquam facinus ausus est, mense Novembri, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto, exitus fuit.

§. XXI.

Friderici Imperatoris querelæ.

Fridericus Imperator Curiam, seu Comitiam

mitia Imperii generalia, Cremonæ post Pentecosten, quod Festum hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto in diem septimam mensis Junii incidebat, indixerat; sed plerique in Germania crediderunt, Cardinalium, & Curia Romanæ solertia effectum, ne hic Conventus locum haberet, Imperator igitur Baronibus, aliisque viris Equestribus, Regni Siciliae Feudatariis, indixit; ad iter omnia pararent, seque, in Longobardiam proficiscentem, sequerentur. Pescariam convenirent, quo ipse die sexta Martii se perventurum crederet. Adfuit vero, ut constituerat, indeque in Ducatum Spoletanum delatus, petiit, ut incolæ sibi in Longobardia obsequia militaria præstarent, quod illi, nisi accederent mandata Pontificis, cujus Vasalli erant, facere detrectarunt. Sed, quod imperaverat, urgebat Fridericus, datis literis vehementis stili, denunciata, & præscripta recusantibus poena. Spoletani acceptas Epistolas remittunt ad Papam, qui Imperatori scribens, questus est, quantum his factis offenderetur. Contra Imperator, & ipse ira commotus, Papæ tanquam æqualis æquali reposuit data Epistola, quam durius Pontificis responsum secutum est.

Imperator in sua Epistola summam ap. Rain. dicebat: *Me quidem, contra quam expe-* 1226. n. 6.

Z z 5, etabant

Sæcul XIII.

A.C. 1226.

Abb. Ursp.

p. 324.

Ric. S. Ger.

1226.

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

*Etabant universi, & Principes mihi subde-
bant, paratissimum ad obsequendum ti-
bi habuisti, usque adeo, ut nullus Ante-
cessorum meorum tam devotum Ecclesia
se se exhibuerit. Verumtamen cum Ec-
clesia illa mei, adhuc infantis, tutelam
suscepit, Innocentius Papa sub pulchro
Tutorum & Defensorum nomine laten-
tes inimicos in Apuliam ad me misit, at-
que in solium patris mei evexit virum ex-
terum, qui Imperio, male parto, non
contentus, Siciliae quoque Regnum occu-
pare conatus est. Hic de Ottone Imper-
atore sermo est. Tum de ipso Hono-
rio Papa dicebat: Constitutionibus tuis
antiquum jus Regum Siciliae in Electione
Prælatorum imminuere vis, & contra
morem receptum, me præterito, quos-
dam viros in Ecclesias vacantes immisi-
sti. Postquam in Regnum Siciliae redisti,
& Rebelles depuli, hominibus mihi su-
spectis receptaculum concessisti. Tan-
dem Imperator jure suo Advocatiæ in
Ecclesiam Romanam usurum se minaba-
tur, & omnibus illis, qui querelam con-
tra se moverent, in Curia sua Justitiam
se exhibiturum promittebat.*

§. XXII.

Responsum Papæ.

sp. Rain.
1226. n. 3. 4.
Et.

*Respondit Papa: Ut primo ea, quæ de o-
pinione Principum affirmasti, refellam,
ecce,*

Sæcul. XIII.

A. C. 1226.

ecce, de Tabulis Ecclesiæ monimenta pu-
 blica prodeunt, sigillorum pæne omnium
 Principum munita, unde perspectum sit,
 qualia tibi suggererint consilia. Dum
 autem Prædecessores tuos memoras, nihil,
 quod ad rem sit, affers. Si enim pro-
 xime defunctos intueris, modicum Devo-
 tionis Christianæ in Ecclesiam profecto
 sufficiet, ut eos superes. Si autem Ro-
 manorum Imperatorum seriem altius re-
 petis, quantum abes a devotione illorum
 præclarorum Principum, qui libertatem
 Ecclesiæ multis privilegiis munierunt,
 & munificentia Regia matrem ditarunt!
 Quod si spectemus tuæ infantiaæ Tutelam,
 & Regni Siculi defensionem, quam Ec-
 clesia Romana suscepit, huc usque non nisi
 grati nobis animi signa dedisti. Quid
 enim aliud tuarum series literarum con-
 tinebat, in quibus post Deum Matris &
 Tutricis Ecclesiæ studio adscribebas, quid-
 quid esses, ac etiam quod viveres? unde
 igitur hodie istis tam contraria pro-
 cessit opinio? Suntne ista subsidia, quæ
 promittebas Ecclesiæ, si necessitas immi-
 neret? cogita, filii carissime, cogita,
 quam parvum, quamque depressum te Sum-
 mus Pontifex Innocentius post obitum
 matris tuæ acceperit, rursusque animo
 revolve, quam grandem, quam potentem,
 te idem Pontifex in sua morte relique-
 rit! Tum Honorius Papa in hac Epi-
 stola

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

stola ostendit, quanta solitudine Innocentius laboraverit, ut Fridericum de Marcualdi & Diopuldi insidiis manibusque liberaret, & prosequitur in hunc modum.

At, inquis, hominem alienum in Sedem patris mei evexistis. Sed patri tui Sedes dici non debet, quæ non successionis, verum electionis jure defertur. Neminem porro latere existimo in toto Imperio, quod Imperatore Henrico defuncto, quidam olim Philippo, Duci Sæviæ, quidam Ottoni, postmodum Imperatori, divisis suffragiis ad hæserint. Et licet idem Philippus nomen tuum primo obtenderit, ad se ipsum postea convertit negotium, ac rebus prospere succedentibus, cum jam amplius de obtinendo Imperio non dubitaret, spem ad occupandam Siciliam quoque prorogavit. Opposuit se Philippi conatibus Romana Ecclesia, effecitque, ne ei aditus in Regnum Sicilia pateret. Philippo tandem de medio sublato, Ottoni, quem omnium Principum roborata consensu præsentabat Electio, nec expedivit, nec licuit diadema Imperii denegari. Is, ut scripsisti, procul dubio cito ingratus extitit Ecclesiæ, immemor receptorum; quod utcunque misericordis Ecclesiæ patientia dissimulavit. Sed postquam ad tuam prorupit injuriam, in te, quasi in pupilla oculi, tacta Ecclesia Roma-

*Romana nullam viam reliquit intenta-
tam, qua tibi succurreret, atque Princi-
pum Catholicorum corda sollicitavit, ut
manum adjutricem porrigerent. Ceci-
dit ille, ut tu surgeres, & cui Regni tui
vix extrema remanserant, totum Ot-
tonis Imperium obtineres. Hæc Matri
tuæ Ecclesiæ debes, quæ tanta beneficia
puero contulit, & adulto. Sed ista ad
tempus, quo Antecessor noster in vivis
fuit, pertinent.*

*Huic nos in affectu erga te paterno
successimus, utque honorem tuum ad su-
premum apicem eveberemus, nostro in
multis detraximus. Nihilominus con-
tra nos quæveris, quod in causa electionis
Prelatorum juri tuo noceamus. Ve-
rum si propriis literas tuas, & genitri-
cis tuæ manu scriptas, revolvisses, si San-
ctorum etiam Patrum sententiam pen-
saves, cerneres, Ecclesiam nihil agere,
nisi debitam sibi libertatem tueri. Ne-
scimus illam formam in electione Episco-
porum, per quam Apostolicæ Sedis judi-
cium ex tuæ voluntatis arbitrio pende-
ret. Non tamen intendimus ordinare
suspectos, si modo suspicio tua intra limi-
tes rationis consistat.*

*Conqueritur deinde Honorius Papa,
Archiepiscopum Tarentinum, & Episco-
pos Catanensem ac Cephalæditanum in
Sicilia, ab Imperatore male habitos fuisse,
aitque,*

Sæcul. XIII.

A. C. 1226.

Sæcul. XIII. aitque, se tam in hac causa, quam in ce-
 A.C. 1226. teris omnibus officio suo in defendenda
 Ecclesiæ libertate neutiquam defuturum,
 cum hujusmodi indulgentiam a peccato
 non esse immunem, & ipsi Imperatori
 noxiam sciret.

Denique Papa illud sibi objectum
 diluit, quod hominum, Imperatori rebel-
 lium, Receptator extitisse accusaretur,
 & asserit; Ecclesiam iis præsidium de-
 buisse, tum quod pacta, quæ cum ipsis
 Imperator inierat, confirmassent, & ipse
 ea violasset, tum quod aliunde id æqui-
 tas & Justitia postulasset. Imperatori
 speciatim exprobrat Honorius ingratum
 animum in Regem Hierosolymæ, locum
 suum, dixitque, hæc jurgia expedi-
 tionem in Terram sanctam fore summe
 noxia. Reprehendit, quod terras Ro-
 manæ Ecclesiæ occupet, quas ut Advoca-
 tus Ecclesiæ contra invasores prote-
 gere deberet. Hortatur, ne egregium
 animum rerum præsentium prosperitate
 corrumpi patiatur, & profiteatur, nun-
 quam futurum, nisi ipse obstacula pone-
 ret, ut Sedis Apostolicæ præsidio desti-
 tueretur. Fridericus, accepta hac E-
 pistola, irritatum Papam mitigaturus,
 literas dedit obsequii & submissionis ple-
 nissimas.

§. XXIII.

Regnum Hierosolymæ.

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

*Sanct. lib. 3.
p. 11. c. 10.*

*Jord. M.S.
ap. Rain.
1226. n. 11. 55*

*Sup. Lib.
LXXVIII.
§. 54.*

Porro cur in superiore Epistola Papa du-
riorem in Regem Hierosolymæ ani-
mum Imperatori exprobraverit, causam
repetamus. Postquam Fridericus Regis
Hierosolymæ filiam conjugem accepit,
celebratis nuptiis, petiit a patre, ut Re-
gnum Hierosolymæ, & omnia jura, quæ
in filiam suam transire possent, sibi tra-
deret. Audito Imperatoris desiderio
obstupuit Rex, maxime quod Equitum
Teutonicorum Magister, fœderum Con-
ciliator, promississet, se Regnum cum vi-
ta servaturum esse. Sed quid faceret
impotens Princeps? nempe cum Impe-
ratori resistere non valeret, dissimulato
dolore, egit, quod imperabat necessitas.
Exinde nullum amplius filialis affectus
vestigium in Genero deprehendit; quin
etiam Fridericus Dominum urbis Tyri,
aliosque Syriæ Equestri Ordinis viros,
qui Regem Joannem iter facientem com-
mitabantur, ad dicendum sibi homagium
compulit. Tum Episcopum Amalfita-
nam cum duobus Comitibus, & trecen-
tis Equitibus, ex Regno Siciliæ Aciam
missum, homagium & juramentum ab
omnibus Regni Hierosolymitani Vasallis
suo nomine recipere jussit. Credide-
runt plerique, indignationis causam ex-
titisse,

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

titisse, quod Imperator suspicaretur, Regem Joannem favere juri nepotis sui, Gualterii Briennii, in Regnum Sicilia, ex matre ipsius proficiscenti; erat enim Gualterius ex Regis Tancredi filia genitus. Ceterum Rex Joannes Briennius in Franciam, ejusque nepos Gualterius Romam se se receperunt.

Interea Christianorum rixæ in Palæstina Republicam evertabant. Annis jam abhinc septem S. Sedis Legatus, Pelagius, Episcopus Albanensis, Boemundum, Comitem Tripolitanum, excommunicaverat, quod vi militari Equitibus Hospitalariis Arcem Antiochenam eripuisset, quam eis custodiendam Legatus tradiderat. Idem Comes occupata quadam domo, quam Hospitalarii Tripoli habebant, Equitum uni pellem spiranti detrahi, alterumque alio mortis genere perimi, ut alia crudeliter acta prætereamus, jussit. A Legato igitur excommunicatus, confirmata a Summo Pontifice sententia, ipse Censuram sprexit, nec eo adduci potuit, ut pro injuriis illatis satisfaceret, aut ablata restitueret. Misit quidem ad Papam nuncios, qui, positis quibusdam conditionibus, Dominum suum absolvi peterent, addiditque literas commendaticias Fridericus Imperator. Sed Papa cum excommunicatos in conspectum admittit

Secul. XIII.
A. C. 1226.

te e non posset, negotium eos audiendi
commisit Hugolino, Episcopo Ostiensi,
duobusque aliis Cardinalibus, qui con-
ditiones Absolutionis, semper poni soli-
tas, expetierunt, videlicet, juraret Co-
mes, quod in causa Excommunicationis
legibus Ecclesie obtemperaturus esset,
& prestaret cautionem, quod damnum
passis, illud refarciturus esset. Ista ve-
ro nuncii prestare detrectarunt, cum id
in mandatis neququam accepissent.

Quare Papa, datis ad Archiepiscopos
Nicosie in Cypro, Cæsariensem in Palæ-
stina, & Abbatem Montis Oliveti, literis,
Excommunicationem, in Comitem Tri-
polititanum latam, confirmari, ejusque
Ditiones Interdicto Ecclesiastico ligari,
precepit. Hæc Epistola die trigesima
Januarii, anno millesimo ducentesimo vi-
gesimo sexto, data est.

10. ep. 169.
Rain. n. 55.
56. &c.

Eadem die Honorius Papa Regulam,
quam Albertus Patriarcha Eremicis
montis Carmeli servandam obtulerat,
approbans precepit, ut ei fideliter in-
hererent, utpote prius conditæ & ac-
ceptæ, quam Concilium Lateranense
novæ Religionis Institutionem prohi-
buisset.

Bull. Hon.
Sup. lib. 7
LXXVI
§. 57.

Cum duæ Ecclesie Patriarchales,
Antiochena, & Constantinopolitana hoc
anno vacassent, Papa, datis literis, Ca-
nonicos Antiochenos intra mensem, post



Sæcul. XIII. acceptam suam Epistolam, Patriarcham
A.C. 1226. eligere iussit. Constantinopoli Eligen-
Rainald. tes in partes abierunt, quibusdam Epi-
1226. n. 59. scopum Belvacensem, Milonem, patria
Gall. Chro. Nantolientem postulantibus, aliis appella-
to. I. p. 128. tantibus ad Papam, qui, rejecta Postula-
 tione, Joannem Abbatisvillensem, Ar-
 chiefiscopum Vefuntinum, ad Sedem
 Constantinopolitanam vocavit. Sed is
 moveri non potuit, ut Translationem
 reciperet.

§. XXIV.

Fœdus Longobardicum.

Ric. S. Ger. Fridericus Imperator Festo Paschali,
 quod hoc anno in diem decimam no-
 nam Aprilis incidebat, Ravennæ celebra-
 to, missis nunciis, Henricum Regem, fi-
 lium suum, in Longobardiam ad se ve-
 nire iussit, ubi Concilium, seu Comitia
 solemnia, Cremonæ agenda, ad Festum
Abb. Ursq. Pentecostes convocaturus esset. Juve-
p. 324. ni Principi, semper in Germania com-
 moranti, Imperator parens, Engelberto
 Archiepiscopo interemto, Moderatorem
 dederat Ducem Baviaræ, Ludovicum Se-
 verum, non solum Domus Serenissimæ
 Caput, sed etiam rebus Imperii in Ger-
Godof. 1226. mania Præfectum. Ergo Henricus, in-
 genti cinctus exercitu, Tridentum usque
 penetrat; sed, Veronensibus alpes obli-
 dentibus, exclusus, in Germaniam re-
 meare

meare cogitur, cum oculis usurpare parentem non licuisset. Is nihilominus Cremonæ Comitata celebravit, in quibus actum est de extirpatione Hæreticorum in Italia, de negotio Terræ sanctæ, & de concordia Civitatum in Longobardia. Sed illæ, Imperatoris adventu confestata, initis inter se fœderibus, ei obedire, vel etiam divertentem excipere, detrectarunt. Postquam igitur Fredericus paucos dies Cremonæ fuisset versatus, ad oppidum, *S. Donino* dictum, discessit, ubi Conradus, Episcopus Hildesheimensis, cui Belli sacri prædicatione commissa fuerat, Longobardos, Imperatori Cruce signato rebelles, omnibus Longobardiæ Præsulibus id approbantibus, solemniter a Fidelium Communionem removit. Cum vero Honorius Papa deinde hanc sententiam abrogasset, crevit Mediolanensibus, ceterisque urbibus, Imperatori adversantibus, animus, ac obstinatius fœderi inhaerent, quod diu nomine societatis Longobardicæ notissimum fuit. Rebelles urbes numerabantur sexdecim, videlicet, Mediolanum, Verona, Placentia, Vercelli, Laus Pompeja*, Alexandria, Tarvisium, Patavium, Vicentia, Taurinum, Novarra, Mantua, Brixia, Bononia, & Faventia, quibus Imperator Fœdalem misit, indictoque publice bello,

A a a 2

per-

Sæcul. XIII.

A. C. 1226.

to. II. Conc.

p. 301.

* Lodi,

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

per Thusciam in Apuliam rediit. Attamen Præsules, quibus Papa Ecclesias Cathedralas contulerat, nempe Archiepiscopus Brundusinus, Consanus, & Salernitanus, Episcopus Aversanus, & Abbas S. Laurentii in eadem civitate, ad Sedes suas admissi sunt.

§. XXV.

Fratrum Minorum cædes.

vit. per
S. Bonav.
6. 14.

Annis abhinc duobus, ex quo S. Franciscus sacris Stigmatibus insignitus fuerat, vires corporis in dies deficiebant, & pedum clavis augmentum accipientibus, ingredi non amplius valebat. Itaque aliorum opera per urbes & pagos delatus, Fideles ad portandam Jesu Christi Crucem excitabat. Ipse quidem actus humilitatis Christianæ, quibus juvenis in principio conversionis suæ adfueverat, repetere cupiebat, nempe lepra infectis servire, & corpus suum in servitutum redigere. Et quidem promittitudo & fervor spiritus debilitatem corporis supplebat, sed tandem usque adeo invaluit infirmitas, ut vix aliqua corporis pars superesset, quæ non magnis doloribus afficeretur, & tota carne consumta, sola pelle & ossibus consistere videretur. Alterum in se Jobum Fratris Ordinis sui exhibebat, sive sancti Viri ærumnas, sive patientiam in-

victam

victam spectarent. Tempus mortis suæ Sæcul. XIII.
 diu ante cognovit, & suprema die ap. A C. 1226.
 propinquante, Fratribus dixit, se brevi
 de corpore hoc exiturum, ut sibi Domi-
 nus Noster revelasset. Tunc vero ad
 ædem Beatæ Virginis de Portiuncula
 transferri se iussit, ut in eodem loco, in
 quo Spiritum gratiæ acceperat, animam
 Deo redderet.

Nobilis quidam urbis Senensis civis, *Vad. 1226.*
 nomine Bonaventura, tunc pio labori *n. 5.*
 intentus erat, ut parvam Familiam Fra-
 trum Minorum transferret, & commo-
 diorem locum in eadem civitate daret.
 Is, S. Franciscum adiens, quæsit, qua
 forma novam Domum extrui vellet. Re-
 spondit Vir sanctus: *Æstiment Fratres*
nostri, quantum spatium de fundo, quem
nobis donasti, ad ædificandam domum,
salva sancta paupertate, sufficiat, tum
ad Episcopum conversi, ejus licentiam &
Benedictionem postulent. Terram dein-
de carbonibus sternant, quibus novi ædi-
ficii ambitum designent. Domum ex li-
gno & cemento, ut pauperes decet,
condant, cum aliquot Cellulis, in quibus
Fratres orationi & labori vacent. Ec-
clesia quoque eorum modicæ sint, nec
templa ampliora & magnifica ideo ex-
truant, ut Verbum Dei in augustiore
loco prædicetur, optimum enim Fide-
bus exemplum præbebunt, si in aliorum

Sæcul. XIII. *Ecclesiis ad populum frequenter dicant,*
 A.C. 1226. *ad se divertentium animos magis habitati-*
onis paupertate, quam exquisito sermo-
nis ornatu conciliabunt.

Id. an. 1215.
 n. 5.

Sæpius antehac S. Franciscus profes-
 sus fuerat, quantum magna ædificia a-
 versaretur. Cum, anno millesimo du-
 centesimo decimo quinto, Assisium re-
 diens, prope domum Conventualem a-
 liam novam a Vicario suo, Petro Cata-
 nensi, se absente, ædificatam vidisset,
 quæsit, quid sibi novum vellet ædifi-
 cium? & Petro respondente, se illud
 Hospitum & Officii divini commodo
 condidisse, reposuit Franciscus: *Frater*
mi! Locus iste de Portiuncula norma
est, & totius Ordinis nostri Regula.
Quare volo, ut qui isthic habitant, &
qui huc veniunt, paupertatis incommoda
patienter ferant, sicque, ubi ad suos ve-
dierint, referant, quantus in Conven-
tu ad Portiunculam paupertatis amor
dignoscatur. Si enim Hospites hic in-
veniant aedes laxas, & omnia alia vita
commoda, eadem facilitate in suis pro-
vinciis utentur, & dicent, non aliam
sibi vitæ normam esse, nisi eam, quam a
Familia Portiunculæ, quæ totius Con-
gregationis fons & origo esset, accepe-
rint. Jamque dirui ædificium præce-
perat; Fratibus tamen instantissime ro-
gant.

gantibus, & quam necessaria esset nova domus, demonstrantibus, cessit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

In primo Capitulo suo generali, anno millesimo ducentesimo decimo nono celebrato, S. Franciscus constituit, ut in primis ex habitatione Fratrum paupertas elucesceret, Ecclesiæ conderentur humiles & modicæ, muri ædificiorum ex crate & cannis, aut ex ligno & luto, paleis mixtis, construerentur. Monebant S. Virum non nulli, in illis provinciis lignum rem esse rariorem, & majoris pretii quam lapides, & ædificia ex lapide parabili, si alioqui modestiæ limites non excederent, magis solida esse, & ruinæ fortius resistere. Noluit Franciscus hac de re disputare, hinc exinde istud Capituli Statutum non districte adeo observatum.

Sup. Lib.
LXXVIII.
§. 20.
Vad. 1219.
n. 30.

§. XXVI.

S. Francisci Testamentum.

Ultimo hoc morbo correptus S. Franciscus quamdam Epistolam, & Testamentum suum scripsisse creditur. Epistola ad omnes Præpositos, Presbyteros, & Fratres Ordinis dirigitur, eoque maxime tendit, ut apud omnes S. Sacramenti Altaris reverentiam augeat. Presbyteros hortatur, ut ad Missam celebrandam non accedant, nisi summa cordis & intentionis puritate præditi,

Vad. 1226.
n. 10.
Opusc. ep. 12

A a a 4 omni

Sæcul. XIII.
A C. 1226.

Sup. Lib.
LXXIII.

§. 14.
Sup. Lib.
LXXV.

§. 18.
Guig. 4.7.
n. 4.

Opusc. p. 120
Vad. 1226.
n. 36.

omni affectu humano abjecto. In fine
verba memorabilia subjungit: *Cupio, ut
in domibus, in quibus Fratres habitant,
una tantum Missa in die celebretur, se-
cundum morem S. Ecclesie Romanae. Si
plures adsint Sacerdotes, alteri satis sit
alterius Missæ interesse.* Cetera, quæ
in hoc sermone sequuntur, ostendunt,
S. Virum ideo ista constituere, ut eo
majore veneratione cuncti Sacerdotem
sacrificantem, ipsumque Sanctissimum
Sacrificium prosequantur.

Superius notavimus, Cartusianos raro
Missas celebrasse, atque ipsis diebus
Dominicis vix aliquando aliam præter
Missam Conventualem fuisse decanta-
tam.

Ut vero, quid sit Testamentum
S. Francisci, referamus; In eo ad vene-
rationem Sacerdotum cunctos majorem
in modum exhortatur. *Tantam fidem,*
inquit, *in Sacerdotes, secundum nor-
mam Ecclesie Romanae vitam suam in-
stituentes, dedit mihi Deus, ut ad eos, et
tiam si me persequerentur, magna fiducia
confugerem. Et quamvis Salomonis sa-
pientia inter homines eminerem, si ad
Sacerdotes, secundum mundum pauperes,
diverterem, nollem in Ecclesiis, in quibus
ministrant, ipsis nolentibus, prædicare.
Eos enim timere, amare, et honorare,
tanquam Magistros meos, constitui. Nolo*

in Sacerdotibus peccatum videre, quia Sæcul. XIII.
 in iis Filium Dei intueor. Idque, mea A. C. 1226.
 opinione, merito, quoniam in hoc mun-
 do nihil de Filio Dei aliquo corporis sen-
 su percipio, quam ejus Corpus & San-
 guinem, quæ illi sumunt, & soli aliis
 distribuunt. Honorem præterea Theo-
 logis habeamus, nobis Sanctum Dei Ver-
 bum administrantibus, quod Spiritus no-
 ster & vita nostra est.

Tum S. Franciscus de Instituti sui
 exordiis ita profequitur: Ecclesias pau-
 peres & desertas amabamus, simplices,
 & omnibus hominibus obedientes. Ma-
 nibus meis laborabam; nam volo labo-
 rare, & districte exigo, ut omnes ce-
 teri Fratres cuidam honesto labori in-
 cumbant, illique, qui modum vel artem
 nesciunt, eam addiscant, non ideo qui-
 dem, ut inde lucrum redeat, sed ut bo-
 num exemplum præbeant omnibus, &
 otium fugiant. Si vero laboris nostri
 mercede nos privent homines, converta-
 mur ad mensam Domini Nostri, ostiatim
 mendicantes.

Et post alia: Serio præcipio omnibus
 Fratribus nostris in virtute obedientie,
 ne, in quacunque orbis parte versentur,
 sive per se ipsos, sive per tertium inter-
 positum a Curia Romana literas peti-
 re audeant, quibus vel Ecclesia vel lo-
 cus alius eis concedatur; nec etiam uti-
 litas

Aaa 5,

Sæcul. XIII. *litas Prædicationis, aut ipsorum Fra-*
*trum securitas obtendatur. * Verum, si*
in hunc locum non recipiantur, fugiant
in alium, ibique, Deo benedicente, peni-
tentiam agant. In fine ait Vir san-
ctus: Districte omnibus Fratribus meis
sive Clericis, sive Laicis prohibeo, ne
vel Regula vel huic Testamento quam-
cumque explicationem seu interpretatio-
nem adjiciant, & dicant; hæc ita vel ita
accipienda sunt; sed quemadmodum gra-
tiam tribuit mihi Dominus, ea simpli-
citer exponendi, vos, quæ vobis tradidi,
eadem simplicitate animi capite, & per-
ficite. Hoc mandato non obstante, con-
stat, quod hoc ipso anno quidam Fra-
tres Prædicatores, & Minores, in Diti-
ones Regis Marochii ad prædicandum
Evangelium ab Archiepiscopo Tolerano
missi, Dispensationem in Regula & qui-
busdam Articulis, eorum Missioni ne-
cessariis, a Summo Pontifice petierint,
& obtinuerint; videlicet rogabant, ut
sibi liceret, alia quam Ordinis veste in-
duitis incedere, barbam & capillos ale-
re, ac pecuniam contrectare, quo faci-
lius ad Infidelium contubernium admit-
terentur. Eaque Bulla die decima se-
ptima Martii, anno millesimo ducente-
simo vigesimo sexto data est.

ap. Rain.
1226. n. ult.

§. XXVII.

§. XXVII.

S. Francisci obitus.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

Bonav. c. 14.
Vad. n. 34.

Sanctus Franciscus, supremam vitæ ho-
ram imminere intelligens, ut erat,
nudus in nuda humo procubuit, ut ma-
nifeste pateret, quam alieno ab omni
cupiditate quidquam possidendi animo
semper fuisset. Tum, levatis in Cœlum
oculis, manu sinistra dexteri lateris vul-
nus tegens, ait ad Fratres: *Quod meum
erat, feci. Quæ vobis facienda sint,
suggeret vobis Dominus Noster.* Ob-
ortæ circumstantibus sunt lacrymæ, &
aliquis, quem Custodem suum appella-
bat, divinans, quid moriturus cuperet,
celeriter surgit, & expromptam quam-
dam tunicam, funem, & femoralia san-
cto Viro porrigens, ait: *Commodo tibi
hunc amictum tanquam pauperi, accipe
ex virtute obedientiæ.* Franciscus ele-
vatis iterum in cœlum manibus Deum
laudavit, quod ab omnibus hujus Sæculi
impedimentis exoneratum ad se voca-
ret. Omnes deinde Fratres, qui in il-
la domo erant, convenire jussos, vehe-
menter hortatus est; Dei amorem, pa-
tientiam, paupertatem, & Ecclesiæ Ro-
manæ fidem conservarent. Mox bra-
chia decussatim in eos extendens tam
absentibus quam præsentibus Benedictio-
nem impertitus est, & Evangelium
S. Joan-

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

Joan. 13.

Bonav. c. 15.

S. Joannis in illo loco: Ante Festum Paschæ legi petiit. Tandem ipse, ut potuit, Psalmum centesimum quadragessimum primum recitavit, quo completo, efflavit Spiritum, in nocte Sabbati, præcedentis Dominicam, scilicet diem quartam Octobris, anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, ætatis suæ quadragesimo quinto, Conversionis vigesimo, ab Ordinis sui Institutione decimo octavo (*).

S. Fran-

(*) Ein heiliger Franciscus vor seinem Hinscheiden ermahnet seine Söhne sich an den Gläubigen der römischen Kirche zu halten, als an den uns von Christo dem Herrn angezeigten unbeweglichen Felsen, welchen Luther und seine Lehrlinger nachmalen verworfen haben. Allein wie schändlich Luther, nachdem er sich wider die römische Kirche aufgelehnet, gefallen sey, wollen wir ein Zeugniß aus dem Bossuet holen, im ersten Bande, auf der 220. Seite. Histoire des Variations &c. Erstlich erzählet er, daß nach dem Vergleich zu Wittenberg (im Jahr 1539.) von der Lehre der Gegenwart Christi im Abendmal, gleichwohl dem Luther heftige Worte wider den Zwinglius entfallen, die Zürcher hingegen ihren Lehrmeister verteidigten, der Landgraf Philipp von Hessen aber, welcher den Krieg wider die Catholicken wünschte, alle Protestanten in der Einigkeit zu erhalten sich bemühet. Nun weiß jedermann, daß so wohl der Zwingli-

S. Francisco defuncto, cunctis ejus Sæcul. XIII.
 Stigmata explorare licuit, quæ, ut S. Bo- A. C. 1226.
 naventura refert, erant clavi, ex ejus ibid.
 carne

Zwinglianer einer Seits, wie auch die Calvinisten, und anderer Seits die Lutheraner in ihren entgegen gesetzten Meinungen von der Gegenwart Christi in dem Sacrament des Altars verblieben, und daß sie sich nichts desto weniger als Glaubensbrüder erkennen. Wie bestehet aber in einem so wichtigen Satz die Einigkeit des Glaubens?

Nach einigen Zeilen sagt Bossuet: Man erlaubte einem Fürsten etwas, wovon man unter den Christen noch kein Beyspiel aufzuweisen hatte; nämlich, daß er zwei Frauen zugleich haben könne. . . . Der Schriftsteller *de Thou* hat von diesem Geheimnisse nicht mehr entdecken können, als daß der Fürst auf Einrathen seiner Hirten nebst seiner Frau eine Beyschläferinn hätte. Und das war genug diese falsche Hirten zu beschämen. Man wußte aber noch nicht, daß diese Hirten Luther selbst sey, und alle Häupter der protestantischen Lehre. Man wußte auch noch nicht, daß sie diesem Fürsten erlaubet hätten, eine Maitresse mit dem Namen und Vorzügen, die einer rechtmäßigen Gemahlinn zustehen, zu unterhalten, da doch seine erste Gemahlinn noch lebte, und das Eheband vollkommen bestund. Dieses erweist Bossuet alsdenn durch unwiderlegliche Schriften, welche

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

carne prodigiöse formati, & ita inhaerentes, ut ex una parte manu impulsi ex adversa eo magis prominere, velut nervi rigidi & solidi. Hi clavi nigrescentis coloris erant, ut ferrum, sed plaga lateris rubra erat, & profunda, quamdam rosæ speciem inspicientibus præbens. Spectaculum inauditum filiorum ejus fidem confirmabat, excitabat amorem, & replebat sancta lætitia, qua luctum temperabat, cum obstupescenda vulnera oscularentur. Populus, ubi S. Viri obitum inaudit, turmatim ad vi-

welche von einem gewissen Hof der Welt im Druck mitgetheilet worden.

Wenn nun Luther die klare Lehre Christi in der Schrift: *Math. 19. Quicumque . . . aliam duxerit, mœchatur*, so muthwillig zu verbrechen sich erschreket, so soll er doch den Protestanten wenigstens verdächtig seyn, ob er nicht auch andere Glaubensstellen der heiligen Schrift eben so irrig und unverantwortlich ausgelegt habe. Ist es nicht vernünftiger, mit den Katholicken dem römischen Bischof, als einem von der Christenheit durch alle Jahrhunderte anerkannten allgemeinen Lehrer, und Nachfolger desjenigen Apostels, zu welchem Christus gesprochen: *Confirma Fratres tuos, Luc. 22. Und pasce oves meas, Joan 21.* glauben, als dem Luther, einem gewesenen Mönche, welcher die Worte der Schrift und Lehre Christi mißhandelt zu haben vor der ganzen Welt überführet wird?

sendum funus confluit. Quisque sa-
 cra Stigmata palpare, veritatem rei suis
 oculis usurpare, & tantæ lætitiæ partem
 sibi vindicare gestiebat. Compluribus
 urbis Assisii civibus concessum, corpori
 S. Viri propius admoveri, vulneraque
 aspicere, & osculari. Atque eorum ali-
 quis, nomine Hieronymus, vir Eque-
 stris, literatus, exploratæ prudentiæ, &
 inter suos spectatissimus, cum ægre fi-
 dem adhiberet tanto prodigio, audacius
 quam ceteri, & accurate magis, Fratri-
 bus, aliisque civibus præsentibus, totum
 corpus exploravit, manibus suis pedes,
 manus, & latus sancti corporis tetigit,
 impulsu clavos movit, & rei veritatem
 tam clare cognovit, ut exinde unus ex
 illis testibus fuerit, qui portentum addi-
 to juramento confirmarunt. Cum
 S. Francisci corpus Assisium deportatum
 est, ductæ sunt Exequiæ præter Eccle-
 siam S. Damiani, ubi S. Clara cum suis
 Monialibus degebat, ibique aliquamdiu
 expectatum, donec Sacræ Virgines
 S. Francisci corpus & Stigmata osculan-
 di solatio perfruerentur. Tandem As-
 sissi in Ecclesia S. Georgii sepultus est,
 ubi adhuc puerulus literarum rudimen-
 ta posuerat, & deinde Verbum Dei præ-
 dicare inceperat. Jamque tunc Deus
 Francisci Sanctitatem editis pluribus mi-
 raculis clarescere voluit.

§. XXVIII.

Sæcul. XIII.
A.C. 1226.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

§. XXVIII.

Expeditio contra Albigenfes.

Gest. Lud.
Duchesne to.
5. p. 287.
G. Pod.
Laur. c. 35.

Interea Ludovicus Rex Franciæ, ut voto edito satisfaceret, Albigenfibus arma inferebat, cum Legato S. Sedis, Romano Cardinali S. Angeli, qui ab ejus latere ayelli non fustinebat.

Rex igitur ineunte vere hujus anni millesimi ducentefimi vigefimi fexti iter auspiciatus Bituriges venit, ubi Cruce signatorum exercitum contrahi jufferat, tumque Lugdunum, nempe Rhodani opportunitate ad devehenda impedimenta ufus, movit. Confules urbium, vicorumque, Comiti Tolofano fubditorum, obvios Regi fe inferentes mcenia dedebant, tradebantque obfides. Quin etiam Avenio, urbs præ ceteris munita, idem obfequium obtulit, quo Rex in Vigilia Pentecoftes, die fexta Junii, pervenit. Sed ecce, cum, fide civium accepta, de facili tranfitu non dubitaret, jamque exercitus pars pontem fuperaffet, Avenionenfes, feptennio excommunicationi Papali fubjacentes, & veriti, ne pro hoftibus haberentur, portas claufurunt, miffis ad Regem nunciis; ipfum quidem, fi cum paucis vellet, fecure tranfiturum. Non credidit Ludovicus fubendum efle periculum, & urbem fubacturus, die Mercurii, decima Junii, obi-

obsidionem molitus est. Sed moenia Sæcul. XIII. A.C. 1226.
 munitissima, & a fortibus viris propu-
 gnata, aggredientes ultra duos menses
 repulerunt.

Cæterum hæc in Albigenes expedi- Math. Par. ar. 1226.
 tio Henricum Regem Angliæ terruit.
 Quippe in Anglia communis vox erat;
 Episcopos, Principesque Franciæ, qui
 Cruce se signassent, ad hoc bellum ma-
 gis metu Regis, & Legato Sedis Aposto-
 licæ adulandi desiderio, quam Justitiæ a-
 more motos fuisse.

Jure armorum illos abuti, qui Prin-
 cipem Christianum invaderent (scilicet
 Comitem Raimundum) qui nuper in
 Concilio Bituricensi, quod nemo ignora-
 ret, Legatum S. Sedis instantissime ro-
 gasset, ut ad omnes urbes Ditionum sua-
 rum diverteret, atque in Fidem incola-
 rum inquireret, & promisisset, se eo, quo
 par esset, rigore in illos animadversu-
 rum, qui veræ Fidei adversa propugna-
 rent. Si quæ vero civitas seditiose ob-
 sisteret, se reluctantem ad officium com-
 pulsurum. *Ipse quoque Comes, aiebant,
 ultro penas dabit, si reus inveniat, &
 lubenti animo subibit examen S. Se-
 dis Legati, qui antea oblatas ab eo con-
 ditiones contempsit. Unde Comiti isti,
 quamvis esset Catholicus, nulla alia su-
 perfuit impetrandæ gratiæ via, nisi ut
 tam suo, quam suorum nomine, Principa-*
Hist. Eccles. Tom. XIX. B b b tui,

Sæcul. XIII. *tui, & Hæreditati paternæ in perpetuum*
 A. C. 1226. *valediceret. Ita de hac causa differe-*
 bant Angli.

ap. Rain.
n. 35.

Sup. Lib.
LXXVI.
§. 46.

Honorii Epi-
tiola.

Ergo Honorius Papa veritus, ne Rex
 Angliæ ad partes Comitis Raimundi ac-
 cederet, & prohiberet, ne Belli sacri præ-
 textu Rex Franciæ Terras Comitis, quæ
 Regni Angliæ Feuda essent, occuparet,
 ad eum dedit Epistolam, in qua summa-
 tim dicit. *Diu expectavimus, donec Rai-*
mundus, ut promiserat, Provinciam Ab-
bigensem ab hæretica pravitate pur-
garet: sed inanis fuit spes nostra. Ve-
rumtamen in Generali Concilio statu-
tum est, ut si Dominus sæcularis, ab Ec-
clesia monitus, terram suam ab Hæresi
purgare neglexerit, a Metropolitano, &
ceteris Provinciæ Episcopis excommu-
nicationis vinculo innodetur, & si satis-
facere contemserit, infra annum, ejus
Vasalli Summi Pontificis auctoritate a
fide ipsi data absolvantur, & Terra ejus
exponatur, a Catholicis occupanda. Nos
igitur juris necessitate coacti, misimus
dilectum filium nostrum Romanum S. An-
geli Diaconum Cardinalem, ad Francia
Regem, qui cum omnibus fere vasa-
lis & Baronibus Regni sui signum Cru-
cis, ad Hæreticos ex illis partibus pro-
stigandos, assumpsit. Quare Severitatem
tuaam solícite monemus & hortamur, ne
Raimundo auxilia præstes, quia, cum ille
 cum

cum Fautoribus suis excommunicatus existat, Fidei tuæ puritatem maculares, teque sententia excommunicationis involvi contingeret. Regi Franciæ quoque nec tu ipse, nec Frater tuus bellum inferatis, quamdiu servitio Jesu Christi vacabit, ne Rex alia suscipiat molimina, nosque rebus tuis consulere non amplius possimus. Ceterum, quidquid de Hæreticis & terra ipsorum decretum fuerit, ut salvum sit jus tuum, & aliorum Catholicorum, secundum memorati Concilii Statuta, providebimus. Epistola ista die vigesima septima Aprilis, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto data est.

Bellica Regis Ludovici expeditio Friderico quoque Imperatori suspecta fuit, timent, ne Rex Franciæ, dum speciem bellum ad extirpandos Hæreticos gerentis præberet, terras occuparet in Provincia & aliis Regionibus, Romano Imperio vectigales, veteris Regni Arelatensis vestigia. Itaque Imperator Papam, tanquam præsentis belli auctorem, rogavit, ut Juri Cæsareo consultum vellet. Cui Papa respondit: *Viva voce Cardinali S. Angeli, dum esset in nostra præsentia constitutus, diximus, ac postmodum eidem literis Apostolicis mandavimus; velle nos terram illam sic hæretica pravitate purgari, ut Jura*

Sæcul. XIII.

A.C. 1226.

Sæcul. XIII. *Imperii servarentur illæsa. Ultimis no-*
A.C. 1226. *stris literis eidem præcepimus, ut ter-*
ras & urbes Imperii, a Cruce signatis
captas, in sua & Ecclesiæ potestate re-
tineat, easque ab Episcopis aliisque Præ-
latis solícite custodiri curet, donec, ipso
Legato referente, quanam ditiones ad
Imperium pertineant, & omnia totius
negotii adjuncta cognoverimus. Hanc
igitur dilationem, Carissime Fili, patien-
ti animo sustine, causæ pacis & fidei ne-
cessariam, quæ in illis partibus pericli-
tantur. Hæc Epistola vigesima secunda
Novembris data est.

II. ep. 271. Papa præterea, datis ad Cardinalem
 S. Angeli literis, præceperat; Regem
 Ludovicum, Præsules, Principesque Fran-
 ciæ moneret, hoc bellum bona fide, &
 nullo alio ducti consilio, gererent, quam
 ad delendam Hæresim; ditiones vero
 Principum Catholicorum, præcipue Im-
 perii, Regis Angliæ, aut Regis Arrago-
 niæ, non invaderent.

§. XXIX.

Ludovici VIII. obitus. S. Ludovicus
Rex Franciæ.

Gest. Lud. 8. **L**udovico Rege Avenionem obsidente,
 f. 288. **f.** 288. **Gall. Chr.** dira intus lues plurimos incolarum
 to. 2. f. 635. **Gall. Chr.** consumsit. Sed etiam obsidentium,
 Cruce signatorum, duo millia, tum ac-
 ceptis

ceptis vulneribus, tum morbo occubue- Sæcul. XIII.
runt, quorum numerum auxit Bernar- A. C. 1226.

dus Favenensis, Episcopus Lemovicen-
 sis. Jam usque ad Festum Assumptio-
 nis Dominae Nostrae tenuerat obsidionis
 labor, cumque tandem obsessi constan-
 tiam irati Regis satis experti essent, ac
 praeterea juramentum edidisse dicere-
 tur, non ante se discessurum, quam ur-
 bem cepisset, initis quibusdam pactis,
 dedidere se victori. Tum Rege & Le-
 gato jubentibus, trecentae in urbe do-
 mus, turribus munitae, dirutae sunt, fossae
 ingesta humo impletae, & muri solo ae-
 quati. Nicolaus vero Corbejensis, mo-
 nachus Cluniacensis, Episcopus Avenio-
 nensis consecratus est. At Regi, in in-
 teriora Occitaniae moventi, urbes, arces,
 & quaecunque munimenta subjiuntur,
 nec jam ultra quatuor leucas ab urbe
 Tolosa aberat. Inde vero, Imberto Bel-
 lijocensi toti illi Provinciae praefecto, ce-
 leriter in Franciam revehitur, novo ve-
 re hoc bellum confecturus. Sed caelo
 aliter visum; nam die Jovis ante Festum
 Omnium Sanctorum, vigesima nona
 Octobris, morbo correptus, & Mon-
 pensarii, in Alvernia, haerere com-
 pulsus, ibidem vitam posuit, die Domi-
 nica, octava Novembris, anno mille-
 simo ducentesimo vigesimo sexto, an-
 nos natus triginta novem, postquam
 B b b 3 annos

Sæcul. XIII. annos tres, & fere quatuor menses Fran-
 A. C. 1226. cis imperasset.

Dath. to. 5.
p. 324.

vit. S. Lud.
per Guil.
Nang. Chro.
ejusd.

Inter ceteras virtutes, quæ Ludovi-
 cum Regem commendabant, memora-
 bilis est castitas conjugalis; nunquam
 enim alteri feminæ junctus est, nisi Blan-
 cæ Reginae, uxori suæ, ex qua undecim
 liberos suscepit. Ex his parenti sex su-
 perstitites fuere, videlicet Ludovicus, Ro-
 bertus, Joannes, Alphonsus, Carolus,
 & una filia Isabella. Corpus Regis Lu-
 dovici VIII. ad S. Dionysium transla-
 tum, & prope Regem Philippum, paren-
 tem suum, depositum est. Ceterum
 Ludovicus jam anno superiore, millesi-
 mo ducentesimo vigesimo quinto, Te-
 stamentum condiderat, in quo, post-
 quam tribus filiis natu minoribus suam
 hæreditatis paternæ partem constituit,
 decernit, ut quartus, id est, si primoge-
 nitus quoque adnumeretur, quintus,
 Clericorum Ordini, ceterique nascituri
 omnes, adscribantur. Multa Legata pia
 inserit, atque, quæcunque scripta sunt,
 exequi Episcopis Carnotensi, Parisiensi,
 Silvanectensi, & Abbati S. Victoris præ-
 cipit. Successit in Regno Franciæ Lu-
 dovicus hujus nominis IX. Sancti nomi-
 ne ab Ecclesia decoratus, filius primo-
 genitus, annos natus undecim, & sex
 menses; quippe vigesima quinta Aprilis,
 anno millesimo ducentesimo decimo
 quinto,

quinto, in lucem editus fuerat. Is an- Sæcul. XIII.
 nos fere quadraginta quatuor Francia A.C. 1226.

moderatus est, cura Matris suæ Regina
 Blanca, quarta post elatum parentem
 Regem hebdomada, nempe prima Do-
 minica Adventus, die vigesima nona No-
 vembris, anno millesimo ducentesimo
 vigesimo sexto, Remis quidem unctus,
 sed Jacobi Balochesi, Episcopi Sueffio-
 nensis, manibus, quia Sedes Remensis
 vacabat, obitu Archiepiscopi Guilielmi
de Joinville, die sexta ejusdem mensis
 Novembris, in Oppido S. Flori, in Al-
 vernia, cum Regem iter facientem co-
 mitaretur, fati functi. Is Sedem Re-
 mensem annis septem tenuerat, ac Cla-
 ravalle sepultus est. Ecclesia vacante
 Capitulum Cathedrale Hugonem de Pe-
 traponte, Episcopum Leodiensem, ele-
 git, qui oblatam Dignitatem a se remo-
 vit. Quam rem obstupescens Albericus
 Monachus, illius ævi Scriptor, dicit, pro-
 digio simile, & inauditum, Clericorum
 aliquem Archiepiscopatus Remensis cul-
 men rejecisse. Hugoni igitur recusanti
 subrogatus est Henricus Brainius, Ro-
 berti Comitis Drocensis filius, & Petri,
 Ducis Britannia, frater, cujus avus Ro-
 bertus Rege Ludovico Crasso genitore
 gloriabatur. Henricus, Archiepiscopus
 Remensis, mense Februario, anno mille-
 simo ducentesimo vigesimo septimo ele-
 ctus,

Chron. an.
1227.

Bb b 4

ctus,

Sæcul. XIII. Ætus, & in Octava Paschæ, die decima
 A.C. 1227. octava Aprilis, ab Episcopo Sueffionensi
 ordinatus, huic Ecclesiæ annis tredecim
 præfuit.

§. XXX.

*Imperator & Longobardi paci-
 scuntur.*

Rain. 1226. **H**onorius Papa bellum, inter Frideri-
 cum Imperatorem, & Longobardiarum
 Civitates accensum, vehementer dole-
 bat, ingens utique Expeditioni in Pala-
 stinam obstaculum; quare, missis Lega-
 tis, adversas Partes conciliare conatus
 est. Cui Imperator in hac causa Episto-
 lam dedit, in qua dicebat: *Haud te la-
 tet, Sanctissime in Christo Pater, quod
 cum in Longobardiam ad Curiam Cre-
 monæ, in negotio Terræ sanctæ, cele-
 brandam tenderemus, quidam Longobar-
 di, nefanda conjuratione, tam salubri
 consilio temere se opposuerint; ac qui-
 dem illi ipsi, qui, simulata concordia, po-
 stula receperant, nobiscum opera Episco-
 pi Portuensis, Legati tui, Archiepisco-
 porum Tyriensis & Mediolanensis, Episco-
 porum Brixienfis & Mantuani, Her-
 manni Equitum Teutonicorum Magistris,
 & Alatrini, Capellani tui, inita. Re-
 belles hi nobis & Imperio enormes intul-
 lerunt injurias, ac Regem, filium nostrum,*
 Præ-

Principesque alios ad eandem Curiam convocatos, venire nequiter prohibuerunt. Scit etiam omnium scrutator secretorum Deus, quod ejus servitio unice intenti, postposita causa propria, in Spiritu dilectionis & Gratiae in omnes Cremonam petierimus, animo neminem offendendi, nec cuiquam metum incutiendi, quamvis ex illa provincia non nulli nos gravissime laesissent; nec enim in eos animadvertere, sicut Imperii nostri Dignitas postulasset, amore, & in gratiam Servatoris Nostri volebamus.

Quamprimum vero illuc pervenimus, tantam experti sumus hominum istorum pervicaciam, ut, adhibita etiam lenitate quasi paterna, obstinatos a malis consiliis abstrahere non potuerimus. Ceterum non deerant nobis vives, quibus injurias nostras ulcisceremur, nisi omnia negotio S. Crucis postposuissemus. Quare, plenam in tua benignitate ponentes fiduciam, tuae prudentiae, & Cardinalium curae Causam inter nos & Longobardos committimus, & spondemus, nos omnia, quaecunque decreveritis, rata esse habituros. Hæc Imperatoris Epistola Asculi, die vigesima nona Augusti, Indictione decima quarta, nempe anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto, data.

B b b 5

Hono-

Sæcul. XIII. Honorius Papa veritus, ne, si oblato
 A.C. 1227. sibi arbitri officio fungeretur, latam dein-
 de sententiam Imperator eluderet, Ar-
 chiepiscopo Tyriensi, Regni Hierosoly-
 mitani Cancellario, & Magistro Ordinis
 Teutonici, qui, mandante Imperatore,
 ad Papam venerant, ad ipsum remissis,
 respondere eos jubet; nec se, nec Car-
 dinales in re maxime ardua eventum in-
 certum in se velle suscipere. Sed a pro-
 posito dimoveri non potuit Imperator,
 qui sancte affirmans, id se bona fide po-
 stulare, iterum precibus fatigavit Ponti-
 ficem, ut arbitrium reciperet, & Lon-
 gobardos, si ejus Judicium fugerent, tan-
 ta, quanta digni essent, pœna coercerent.

Ric. S. Ger.
 1226.

Verum Longobardi quoque, missis ad Papam Legatis, eundem pacis, inter se & Imperatorem sancienda, Arbitrum elegerunt. Itaque Pax initur, iis conditionibus, quas Pontifex in Epistola, ad Rectores Societatis Longobardicæ, Marchiæ, & Romandiolæ data, præscripsit, in qua loquitur in hunc modum.

Imperatoris Nuncii nobis exposuerunt, quod is, societate vestra impediente, contra pravitatem hæreticam, qua Regio illa infecta dicitur, non ut constituerat, agere potuerit, nec etiam libertati Ecclesiasticæ oppressæ opem ferre, nec auxilia Terræ sanctæ accelerare.
 Præ-

Præterea, quod captivi, contra jus & honorem Imperii, Cæsari fuerint denegati. Nos, auditis utriusque Partis argumentis, quædam duximus esse statuenda. Imperator societati vestræ acceptas injurias & dolorem suum condonet. Latam sententiam, constitutiones contra vos editas, & quæ inde secuta sunt, præcipue Decretum contra Scholam Bononiensem, abroget. Illi contra, qui antea memorata societate conjuncti erant, Imperatori pro subsidio Terræ sanctæ suis sumtibus per biennium quadringentos Milites mittant, Civitatibus, locis, virisque Imperatoris causæ additis pacem concedant, sententiam aut statutum quodcunque, iis adversum, revocent. Omnes Constitutiones & Leges vel ab Ecclesia Romana, vel ab Imperatoribus contra Hæreticos promulgatas, fide inviolata servant, & statuta omnia, contra Libertatem Ecclesiasticam edita, nullius roboris declarent. Hæc Epistola Pontificis, die quinta Januarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo datæ, summa est.

Ut Lector intelligat, quod in hac Epistola de Schola Bononiensi statuitur, memorandum est, quod anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense Julio, Fridericus Imperator contra hanc civitatem, inter Socias Longobardiæ urbem

Sæcul. XIII.
A.C. 1227.

II. ep. 440.
Rain. 1226.
n. 26.

Ric. S. Ger.
1224.
Sigon. Hist.
Bon.
Du Boulaï.
to 3. p. 115.
Petr. de
Vineis. lib. 3.
ep. 10. 11. &c.

Sæcul. XIII.
A. C. 1227.

bes prope præcipuam, vehementi ira accensus, animo constituerit, potentia ejus fontem, videlicet Scholam, obstruere, eoque consilio Neapoli scientias omnes doceri jusserit, nempe, ut hodie loqui solemus, Universitatem creaverit. In ea primum Rectorem & Magistrum agere jussit quemdam, nomine Petrum, ex Hibernia, addito duodecim unciarum auri annuo censu. Promisit, se illic Doctores præstantissimos esse vocaturum, & liberali stipendio sustentaturum. Invitavit juvenes scholasticos; venirent ex omnibus Regionibus, cunctisque commodas ædes, & com meatum abundantem pollicitus est. Tandem omnibus subditis suis prohibuit, ne quis in alia civitate, etiamsi ea in Regno suo posita esset, quam Neapoli, studiis literarum vacaret, cunctosque scholasticos jussit ante Festum S. Michaelis, nempe tres menses a promulgato Decreto, in eam urbem confluere. Ergo vi pacis, cum Longobardis reductæ, Imperator Fridericus Scholæ Bononiensi jus ablatum, Decreto, prima Februarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo edito, restituit.

Ceterum Honorius Papa, dolens, quod Joanni Briennio jam nihil nisi inane Regis Hierosolymæ nomen superesset, saltem ne Principi spoliato alimenta deessent,

*Sigon. lib. 7.
de reb. Ital.
Du Boulay.
p. 117.
Ric. S. Ger.
1226.*

deessent, provifurus, ei Praefecturam Di-
 tionum Ecclesiae Romanae a Territorio
 Viterbiensi usque ad urbem Montem
 Flafconis contulit. Literae collationis
 hujus die vigesima septima Januarii an-
 no millesimo ducentesimo vigesimo se-
 ptimo datae sunt. Friderico vero Impe-
 ratori scripsit Pontifex; eum hominum
 omnium expectationem sefellisse, cum
 Regno Socerum exuisset, cui sortem pro-
 sperrimam, ex his nuptiis obventuram,
 nemo non auguratus fuisset. Probrum
 ad Pontificem quoque & Cardinales,
 horum foederum Conciliatores, pertine-
 re, & tandem, comperta hac Socerum
 inter & Generum animorum dissensione,
 Fidelium ardorem Terrae sanctae succur-
 rendi plurimum remisisse. Obsecrat
 igitur Imperatorem, ut Joannem Regem
 in gratiam recipiat, & affectum ipsi fa-
 ctis ostendat. At Imperator nec Ponti-
 ficis precibus, nec argumentis flecti
 potuit.

§. XXXI.

*Honorii III. obitus. Gregorius IX.
 Papa.*

Honorium III. Pontificem, Bellum Pa-
 laestinae praepimis in Germania, &
 in Hungaria urgentem, mors occupavit,
 Feria V. die decima octava Martii, hoc
 anno

Saecul. XIII.

A. C. 1227.

II. ep. 497.

Rain. 1227.

n. 5. ep. 496.

Sæcul. XIII. anno millesimo ducentesimo vigesimo
 A.C. 1227. septimo, postquam in Petri Principis A-

Papebr.
conat. hist.
ep. Greg. ap.
Rain. n. 17. postolorum Cathedra annos decem, &
 menses octo sedisset (*). Altera luce
 ad S. Mariam Majorem sepultus est, qua
 etiam, nempe Feria VI. tertiæ hebdoma-
 dæ in Quadragesima, Cardinales ad eli-
 gendum Successorem congregati sunt.
 Missa ergo, pro more, de S. Spiritu ce-
 lebrata, mira concordia Papam salutant
 Cardinalem Hugolinum, Episcopum O-
 stiensensem, cui Gregorii IX. nomen pla-
 cuit. Is die Dominica sequente, vige-
 sima prima Martii, coronatus est. Na-
 tus erat Anagninæ, Campaniæ urbe, pa-
 rente a Comitibus Segniensibus genus
 ducent-

(*) Honorius Papa sacros Mendicantium
 Ordines tres confirmavit, Dominicorum,
 Franciscanorum, & Carmelitarum. Ceterum
 Regulam S. Dominici jam antea confirmave-
 rat Innocentius III. de quo, cum pro confirma-
 tione Amannensi suo literas dicitaret, istud re-
 fert Palatius in Honorio III. pag. 733. *Non-*
dum Roma discesserat Dominicus, quando In-
nocentius Diploma Concessionis inscribi præci-
piens, primo injunxit: Scribe, Fratri Domini-
co, ejusque Sociis. Dein mutata sententia, nec
sic, ait, sed Fratri Dominico, & cæteris cum
eo in partibus Tholosæ prædicantibus. Et cum
hæc quoque Inscriptio non placuisset, scribe, in-
quit, Magistro Dominico, & Fratibus Præ-
dicatoribus.

ducente, & arcta sanguinis propinquitate Innocentium III. Papam contingente. Sæcul. XIII.
A C. 1227.

Vir spectabili corporis habitu, ingenio & memoria valebat, atque scientia Jurisprudentiæ Civilis & Canonici instrumentissimus, morum quoque integritate commendabatur. Gregorius iste olim Capellanus Innocentii III. erat, tum Cardinalis, Titulo S. Eustachii, creatus, tandem Episcopatum Ostiensem consecutus fuerat. S. Francisci, ut memoravimus, amicus in paucis, Fratrum Minorum Protector extitit, in quorum, aliorumque virorum Religiosorum gratiam complura Monasteria vel condidit, vel, conciliatis eis fautoribus, tradi curavit. Art. ap.
Rain. n. 13.

Die, qua corona Pontificia redimitus est Gregorius, ad Basilicam Principis Apostolorum procedens, Prælati obsequii causa comitantibus, ex Apostolicæ Sedis more Pallium accepit, tumque, completa solemnī Missa, auro & gemmis tectus ad Palatium Lateranense contulit. In Festo Resurrectionis Dominicæ, Missarum Mysteriis in Basilica S. Mariæ Majoris celebratis, coronam gestans reversus est. Feria deinde secunda, divinis Officiis in Basilica S. Petri peractis, rediit duplici diademate coronatus, equo pretiose phalerato vectus, & Cardinalibus purpura fulgentibus, innu-

Sæcul. XIII.
A. C. 1227.

innumera Clericorum multitudine ipse
cinctus. Aureis, argenteisque velamen-
tis plateæ distinguebantur, & picturis
Ægyptiacis sternebantur, tinctisque In-
diæ coloribus splendidae diversorum quo-
que aromatum suavitate fragrant.
Cantabat populus *Kyrie eleison*, ac lata
carmina, insonante tubarum clangore.
Prætores & Ministri Cappis sericis &
vestibus aureis ornati incedebant. Græ-
corum atque Hebræorum catervæ, suo
idiomate & ritu, Summo Pontifici lau-
des persolvebant, incredibili populi mul-
titudine cum palmis & floribus præce-
dente, Senatore ac Præfecto urbis, non
equo evedtis, sed pedibus incedentibus,
& equi Pontificii lora trahentibus. Ita
Gregorius ad Patriarchalem Sedem La-
teranensem perductus est, qui eam dein-
de annis quatuordecim tenuit. Rece-
pto Pontificatu, abjecta omni mora, vi-
delicet vigesima tertia Martii, omnes
Christiani orbis Antistites Electionis sue
certiores, datis literis, fecit, rogans pro
se orari. In iisdem literis præcipit, ut
iter Cruce signatorum in Palæstinam,
incusso Censurarum Ecclesiasticarum
metu, urgerent.

ap. Rain.
n. 17.

§. XXXII.

Concilium Narbonense.

to. II. Conc.
p. 304.

Sub idem tempus, nempe in Quadrage-
sima

sima, anno millesimo ducentesimo vige-
 simo septimo, Petrus Amelinus, Archie-
 piscopus Narbonensis, Concilium Pro-
 vinciale celebravit, conditique sunt vi-
 ginti Canones, quorum hoc est exor-
 dium: *Felicis recordationis Dominus Lu-
 dovicus, Rex Francorum, attendens,
 quanta pertinacia Laici Provinciae Nar-
 bonensis sententiam excommunicationis
 contemnerent, tunc Apamiae commorans,
 adjunctus consilio Romani Cardinalis, Apo-
 stolicæ Sedis Legati, ac omnium Præs-
 lum & Baronum Franciæ, qui præsen-
 tes erant, statuit, ut quicumque post tri-
 nam admonitionem se excommunicari
 contemserit, novem libris & uno dena-
 rio puniatur. Si vero per annum, con-
 tumaciter excommunicationi subjacens,
 non resipuerit, bona ejus omnia avario
 publico addicantur. Quam Constitutio-
 nem nos Petrus Archiepiscopus in tota
 nostra provincia inviolate servari præci-
 pimus, ita videlicet, ut, si opus fuerit,
 quemadmodum Prælati Franciæ solent,
 aliquid mulctæ relaxari possit.*

Judæi in medio pectoris deferant si-
 gnum rotæ, ut a Christianis discernantur.
 Disciplinam Ecclesiasticam in ex-
 ternis servent, & diebus Dominicis aut
 Festis publice non operentur, nec carnes
 comedant, quando Christiani abstinent.
 In septimana sancta domo pedem non
Hist. Eccles. Tom. XIX. Ccc esse-

Sæcul. XIII.

A.C. 1227.

G. de Pod.

Laur. c. 36.

t. 2. 3. 4.

Sæcul. XIII. efferant, ut rixas, inter ipsos & Christianos nascituras, fugiant. Prælati vero nos nascituras, fugiant. Prælati vero
 A.C. 1227. Judæos a Christianorum vexationibus custodiant. Judæi singulis annis tempore Paschali per omnes familias Ecclesiæ Parochiali sex Denarios persolvant.

6.7. Testamentum cujuscunque, semper præsentibus viris Catholicis & Parochy, aut loco ipsius alio viro Ecclesiastico, condatur, ut adsit testimonium, Testatorem in Fide Ecclesiæ fuisse mortuum, atque, quæ in pias causas reliquerit, fideliter solvantur. Quod si Testator hanc Constitutionem contemserit, sepultura Ecclesiastica careat, Notariis vero introitus Ecclesiæ interdicatur. Eadem poena illis statuitur, qui post annum ætatis decimum quartum, saltem semel in anno, confessi non fuerint; quare injungitur Presbyteris, ut nomina eorum, quorum Confessiones audiverint, scripto adnotent. Presbyteri in loco publico, non occulte, confitentes audiant (*).

Abba

(*) Canon VII. ita incipit: *Item statuit præsens Synodus, quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur a Capellanis, qui confessiones audiverunt eorundem &c.* Unde videmus, jam illa ætate non solos Parochos, sed etiam alios Presbyteros Coadjutores Fidelium Confessionem excepisse.

Abbate, Priores, alique, qui Eccle-
 siarum redditus percipiunt, Episcopis vi-
 ros idoneos, qui in iis rite ministrent,
 infra Festum proximum Pentecostes præ-
 sentent, & portionem sufficientem iis-
 dem assignent, unde sustentari, & officiis
 suis commode fungi possint. Episcopi
 testes Synodales in singulis instituant pa-
 rochiis, qui de Hæresi, & aliis crimini-
 bus manifestis diligenter inquirent, post-
 modum Episcopis, quod invenerint, re-
 laturi. Hic occurrunt Inquisitores. Hæ-
 retici denunciati, aut merito suspecti,
 ab officiis publicis in perpetuum amo-
 veantur. Excommunicati, atque tam
 eorum res quam personæ cuilibet occu-
 panti expositæ, publice denunciarentur,
 nempe Comes Raimundus Tolosanus,
 Comes Foxiensis, Vicecomes Bliterren-
 sis, Tolosani, omnes Hæretici, eorum-
 que Fautores. Tandem adjicitur, &
 præscribitur, Concilium Provinciale sin-
 gulis annis, Dominica quarta Quadra-
 gesimæ, esse celebrandum.

Soluta Concilio, Archiepiscopus Nar-
 bonensis, Petrus Amelinus, Fulco Epi-
 scopus Tolosanus, & Bernardus Episcopus
 Carcassonensis ad exercitum profecti
 sunt, quem Imbertus Bellijocensis con-
 tra Raimundum Comitem & Albigenfes
 ducebat. Ludovicus vero Rex, seu ve-
 rius Regina Blanca ejus Mater, filio pue-

Sæcul. XIII.
 A.C. 1227.

c. 9.

Canones.

c. 14.

c. 16.

c. 17.

c. 20.

Guil. Pod.
 L. c. 37-38-39

Chr.
 G. Nang.

Sæcul. XIII. ritiam necdum egresso, Regni Modera-
 A.C. 1227. trix, ad eadem castra complures Episco-
 pos & viros Equestres misit, quibus e-
 tiam Archiepiscopus Augustæ Aucio-
 num, & Burdegalensis juncti sunt. Ad
 Festum S. Joannis igitur universus Cru-
 ce signatorum exercitus in ditionem To-
 losanorum irrumpens, in quodam loco,
 qui lingua vulgari *Pech-Almeri* diceba-
 tur, castra metatus est; unde quotidie,
 ubi illucescebat, delecti robustissimi ju-
 venes emittebantur, validis armatorum
 prædiis tuti, qui munimenta diruebant,
 vites amputabant, & demetebant sege-
 tes. Hæc clades Tolosanos ita afflixit,
 ut animum adjecerint ad recipiendas
 pacis condiciones, quas eis, nomine Ro-
 mani, S. Sedis Legati, Elias Guarinus,
 Abbas Grandisilvanus, ad hoc negotium
 ex Francia ad castra delatus, obtulerat.
 Interim conventum est, ut utriusque
 Partis Legati anno sequente Meldas ad
 facienda fœdera se se conferrent.

§. XXXIII.

*Querelæ Clericorum Franciæ de
Decimis.*

Romanus, S. Sedis Legatus, ne belli
 nervus deesset, Clericos Franciæ ad
 solvendas Decimas compellere niteba-
 tur, quas ipse Ludovico VIII. Regi ad
 quin-

quinquennium promiserat. Quamob- Sæcul. XIII.
 rem Clerici, datis ad Pontificem literis, A. C. 1227.
 in amaras querelas effunduntur, super-
 estque nobis in hac Causa Epistola Ca-
 pituli Parisiensis, cujus tunc Princeps
 erat Philippus Nemoracensis Decanus,
 postea Episcopus Catalaunensis. Est ve- ap. Rain.
 ro Epistolæ hoc exordium. Si populo 1227. n. 56.
 suo reservasset Deus alterum Jeremiam, Gall. Chron.
 qui captivitatem gentis suæ plangeret, to. I. p. 471.
 non tantum quadruplici, sed multiplici,
 si posset, plangeret Alphabeto, & meri-
 to, pro novitate flagitii, novum excogi-
 taret genus lamenti. Et inferius: Cum Sup. n. 16.
 Legatus tuus totius Legationis suæ Con-
 cilium in urbem Bituricensem convocas-
 set, Nuncii Capitulum pro Albigenfi
 negotio illuc convenerunt, ut, quæ tra-
 ctarentur, seu statuerentur, ad Capitula
 referrent, nulla penitus consentiendi pot-
 estate accepta. Ubi ergo de modo subsi-
 dii præstandi in bello contra Albigenfes
 eos consuluit, & permovere conatus est,
 ut Decimam honorum Ecclesiæ per quin-
 quennium solverent, si ipse Rex Ludovi-
 cus imperium exercitus in se susciperet,
 responderunt; se limites potestatis suæ
 non posse transgredi, & suam quidem, sed
 non Capitulum suorum sententiam esse
 exprompturos. Et ipsis quidem utile
 videbatur consilium, banc Decimam per-
 solvi, si Rex aliter ad castra proficisci
 nollet,

C c c 3 nollet,

loder-
 Episco-
 bus e-
 Aufcio-
 t. Ad
 s Cru-
 em To-
 n loco,
 diceba-
 ocidie,
 imi ju-
 atorum
 ebant,
 t lege-
 afflixi-
 iendas
 ne Ro-
 arinus,
 portium
 ulerat.
 iusque
 das ad
 .
 e de
 e belli
 cia ad
 niteba-
 egi ad
 quin-

Sæcul. XIII.
A.C. 1227.

nollet, cum ejus presentiam tanto opere scirent esse necessariam. Cum igitur viderent Capitula, quanto fervore Ludovicus Rex, felicitis memoria, pia expeditioni se accingeret, dimidiam partem Decimæ, non tanquam Decimam, sed nomine subsidii, nullo præcedente promisso, plena libertate, persolverunt, aliam quoque partem, & etiam majorem, si Deus Regem incolumem, & contra Hæresim pugnantem servasset, libenter & liberaliter præstituri.

Rege autem defuncto, quidquid Dominus Legatus cum Regina egerat, quidquid constituerat, quidquid promiserat, voluntate Capitulorum non est actum. Unde, cum desideraretur Dux, qui bellum, sua magnitudine periculofum, posset perficere, nulla visa est eis subesse causa, cur quinque annorum Decimam darent; maxime cum Legatus Clericos compellere velle diceretur, ut promiserat Regina, adjiciens, se etiam ei Cappas nostras, si eas peteret, traditurum esse, & Regina nec ad certum tempus, nec ad certum militum numerum se vellet adstringere. Præterea attendentes, quod hoc ipsum, quod de liberalitate processerat, in debitum & servitutem converteretur, utque rebus futuris consulerent, Clerici Capitulorum quatuor Provinciarum, Remensis, Senonensis, Turonensis, &

Et Rotomagensis, ad S. Sedem appella- Sæcul. XIII.
runt. Appellationis hujus Literæ Fe- A.C. 1227.
 ria IV. ante Pentecosten, nempe vigesi-
 ma sexta Maji, anno millesimo ducen-
 tesimo vigesimo septimo, datæ sunt.
 Tum Capitulum Parisiense addit; Le-
 gatum Appellantes Censuris Ecclesiasti-
 cis perstrinxisse, eorumque Bona a Re-
 giis Ministris occupari jussisse, ut ad
 persolvendam Decimam cogeret. Ca-
 pitulum Senonense in eundem sensum
 Papæ scripsit (*).

Gregorius Papa his querelis respon- 5. ep. 133.
 dit, data Epistola, in qua præter alia di- Rain. n. 59.
 cit: *Agnosceimus siquidem, Et fatemur,*
quod Ecclesia Gallicana post Apostolicam
Sedem quoddam totius Christianitatis sit
 C c c 4 Specu-

(*) Hic dicit Rainaldus, Baronii Continua-
 tor, *Capitulares Parisienses subjiciunt, quæ sibi*
injuriæ . . . a Legato, Regiisque Ministris ad
Decimam illam extorquendam, . . . fuerint
illatæ, quas ad concitandum ad misericordiam
Pontificem hac oratione exaggerant.

Quis ista oculis sicis vobis valeat enarra-
re? deficit in scribendo manus, Et plus fuit o-
culus quam calamus: quidquid calamus pingit
incausto, delet oculus lacrymarum profluvio,* forte incau-*
ac per talem pingentis ac plangentis mixturam stico, aut me-
litera convertitur in lituram. Utinam Domi-
lius caustico.
nus, Pater Sanctissime, nobis alterum suscitet
Hieremiam! Et c.

Sæcul. XIII.
A.C. 1227.

speculum, & immotum Fidei firmamentum, utpote quæ in fervore Fidei Christiana, ac Devotione in Apostolicam Sedem, alias Ecclesias (quod earum pace dixerimus) non sequitur, sed antecedit. Intellectis igitur gravaminibus, a Cardinale Romano, Legato nostro, Constitutione quadam, in urbe Senonensi edita, vobis irrogatis, cordis dolore tacti, eundem Legatum literarum nostrarum asperitate, ut decuit, redarguimus, & ei continuo dedimus in mandatis, ut eam Constitutionem sine mora revocet. Nilominus, acceptis Legati sui literis, Pontifex mentem & propositum mutavit, scripsitque Ludovico Regi juveni Epistolam, in qua dicit: Postquam de Appellatione Capitulorum quosdam eorum Legatos, & Cardinalem, Legatum nostrum, audivimus, ac pensavimus, quod idem Legatus, pro tam utili negotio Ecclesie Dei, tum Jure Legationis statuere potuerit, quod expedire videbatur, tum etiam quod potestatem ab Ecclesia Romana acceperit, Constitutionem ejus, & promissum Regi, ex consilio ferme tertius Bituricensis Concilii, datum, sanctum & legitimum esse duximus, idque suadentibus Fratribus nostris, approbavimus, & ratum habuimus, ac precipimus, ut secundum idem Legati promissum tota tibi Decima persolvatur. Hac

Epistola

Epistola die decima tertia Novembris, ^{Sæcul. XIII.}
 anno millesimo ducentesimo vigesimo ^{A.C. 1227.}
 septimo data est.

§. XXXIV.

*Guilielmus de Alvernia, Episcopus
 Parisiensis.*

Dum hæc in Francia geruntur, Eccle-
 sia Parisiensis, defuncto Episcopo
 Bartholomæo, alium Pastorem nacta
 est. Bartholomæus, antea Canonicus,
 & Decanus Carnotensis, laude scientia-
 rum, maxime vero Jurisprudentiæ Ci-
 vilis & Canonicæ illustrissimus, morum-
 que puritate eximius, Ecclesiam suam
 summa attentione & cura, ac feliciter
 rexit. Hunc virum merita sua in Se-
 dem Parisiensem mense Decembri, an-
 no millesimo ducentesimo vigesimo ter-
 tio, Guilielmo Segnelacensi fatis functo,
 evexerunt, quam non diutius quam an-
 nis ferme quatuor tenuit, vigesima O-
 ctobris, anno millesimo ducentesimo
 vigesimo septimo, rebus mortalibus ere-
 ptus. Bartholomæo successit Guiliel-
 mus de Alvernia, natus Auriliaci, & in
 Schola Parisiensi educatus, ubi celeberrimorum
 Doctorum numero adscribi
 meritus est. Episcopus electus est sub
 initium anni sequentis, millesimi ducen-
 tesimi

*Elog. to. 2.
 Anaclet. Na-
 bill. p. 608.*

*Dubois Hist.
 Paris. lib. 15
 c. 1.*

*Sup. Lib.
 LXXVIII.
 §. 54.*

C c c 5 tesimi

Sæcul. XIII. tesimi vigesimi octavi, & Ecclesiæ Parisiensi annis viginti præfuit.

A.C. 1227.

§. XXXV.

Cumani convertuntur.

*Du Cange
sur Ville-
hard. p. 336.*

Inter hæc redduntur Gregorio Papæ li-
teræ Archiepiscopi Strigoniensis. Is
significabat, viam sibi offerri apertam
ad convertendos Cumanos seu Comanos,
populum infidelem, Regionem Molda-
viam versus, & ostia Danubii, incolen-
tem. Dicebat vero in sua Epistola Ar-
chiepiscopus: *Non nullos viros nobiles
hujus Gentis baptizavi; & quidam Re-
gionis illius Princeps, nomine Borisus,
Fidem Christianam cum omnibus subdi-
tis suis amplecti cupiens, misso ad me fi-
lio suo unico cum quibusdam Fratribus
Prædicatoribus, qui in illis partibus pro-
mulgant Evangelium, rogat vebementer,
ut ipse ad eum veniam, eique veri Dei
cognitionem ingeram. Tunc ego quidem
viæ me dederam, votum, quo me ad
petendum Terram sanctam obstrinxi,
exoluturus. Sed credidi, differendum
esse hoc iter, ne occasionem tot animas
Deo conciliandi contemnerem. Mitto
igitur ad te Zalam Archidiaconum, no-
mine meo suppliciter rogaturum, ut tuo
consensu ad novellam banc Christi vineam
ire liceat. Quia etiam in illa gente
uberiores fructus colligere potero, si au-*

etus fuero auctoritate & nomine Sedis Sæcul. XIII.
 Apostolicæ Legati, cujus ibi maxima ve- A.C. 1227.
 neratio est, rogo, ut & istud mihi con-
 feras, sicque nomine tuo fidem prædicem,
 baptizem, Ecclesias ædificem, Clericos
 ordinem, Episcopos creem, & penitus o-
 mnia, quæ ad propagationem Fidei con-
 ducunt, peragam. Pontifex, quæcunque
 petebat Archiepiscopus, Bulla, die ulti-
 ma Julii, anno millesimo ducentesimo
 vigesimo septimo, data concessit (*).

Eodem

(*) Dieser Erzbischof von Gran gehört zu
 der Zahl der herrlichen Zeugen seiner Zeit, daß die
 Einigkeit der wahren Kirche Christi ohne Ge-
 meinschaft und Abhängigkeit von dem römischen
 Stuhle nicht könne erhalten werden. Luther hat
 anders gedacht; darum war er auch in seiner
 Lehre so veränderlich, als ein Wetterhahn auf
 dem Dache. Von ihm schreibet der gelehrte Bi-
 schof Bossuet im ersten Bande des Variations des
 Eglises Protestantes, auf der 142. Seite, der sechsten
 Aufslag, zu deutsch gegeben, also. Demal hat
 eine kleine Schrift, so Luther ans Licht ge-
 geben (im Jahre 1531.) viel Redens verursa-
 chet. Wir haben gesehen, daß die erstaunli-
 che Ausbreitung seiner Lehre ihm die Mei-
 nung beygebracht, die römische Kirche wür-
 de von sich selbst fallen. Darum behauptete
 er dazumal heftig, daß man zur Verthei-
 digung des Evangelium die Waffen nicht er-
 greifen müste, ja auch so gar nicht, um sich
 von

Sæcul. XIII.

A.C. 1227.

Hist. univ.
Paris. ta. 3.
p. 123.

Eodem anno Gregorius Pontifex
Fratribus Ordinis Prædicatorum magna
Privilegia tribuit, data Bulla, ad omnes
Episcopos, aliosque Præpositos Ecclesia-
sticos, directa, in qua dicit: *Rogamus*
vos, & injungimus, ut recipiatis, &
foveatis Fratres bujus Ordinis in nego-
tio Prædicationis, cui addicti sunt, po-
pulos Regimini vestro commissos borta-
mini, ut eis faciles aures præbeant;
quoniam Fideles constantes audire, &
injungerent penitentiam eis auctoritate
nostra

von der Unterdrückung zu befreien. . .
Er wollte nämlich seiner neuen Kirche die
schöne Farbe der Sanftmuth, welche in der
ersten Kirche zu finden war, anstreichen.
Allein er änderte bald die Sprache, denn
als die Protestanten an dem Schmalcalder
schen Bunde arbeiteten, erklärte Luther; das
Evangelium sey den politischen Gesetzen nicht
entgegen, und in so gefährlichen Umständen
könne es so weit kommen, daß man zu den
Waffen greifen, und sich wider alle, diejenige
ja auch wider den Kayser selbst, würde ver-
binden müssen, welche sie mit Krieg überzie-
hen wollten.

Wo ist also bey dem Luther, welcher sich die
Besserung der Religion in ganz Deutschland an-
maßte, die Eintigkeit, und Beständigkeit in der
Lehre?

nostra datum est (*). *Serio itaque monemus; bis Fratribus, in omnibus, quibus indigent, subvenite. Si vero quosdam*

Sæcul. XIII.

A.C. 1227.

(*) Ex tota Historia Ecclesiastica de usu Fidelium peccata sua confitendi, & ex parte Sacerdotis confitentibus pœnitentiam Injungendi, manifeste constat, sed de Forma Absolutionis necessaria non ita liquet. Aliquis SS. Theologiæ Doctor, & Dogmatico-Scholasticæ in Universitate Salisburgensi Professor clarissimus, in Thesibus de Pœnitentia, anno 1762. numero XXIII. & XXIV. positus, affirmare non dubitat: *Absolutio per X. Sæcula tam in Oriente quam in Occidente modo deprecatorio prolata fuit. Qua & hodie utuntur Græci, & Latinus uteretur valide, quamvis illicite.*

At valori Absolutionis, si quis hodie deprecatoria uteretur, ut cetera taceam, obstare videtur, quod Ecclesia hodie Sacerdoti Jurisdictionem absolvendi, non absolute, sed certis conditionibus alligatam, conferat. Sicut ergo Sacerdos, extra suam Diœcesim absolvens, neutiquam valide absolvere censetur, quia, licet de Jure divino hæc Jurisdictio ad totum terrarum orbem se extendat, ejus tamen potestas restricta est ab Ecclesia quoad locum; cur non etiam eadem potestas ea conditione limitata credatur, si illam nempe Absolutionis formam, quæ sola in Occidente recepta est, adhibeat: *Ego te absolvo?*

Sed quidquid sit. Audiamus S. Thomam, quem docentem refert Rey, P. Edmundus Simon.

Sæcul. XIII *dam Prædicatores, qui se Ordinis hujus*
 A.C. 1227. *membra simulant, & cumulanda pecunia*
incumbunt, deprehenderit, in vincula
conjecite sycophantas, &, ut merentur,
dammate.

Hæc

monnet S. J. in suis Institutionibus Theolog.
 Tractatu XV. Artic. I. ubi ait. *S. Thomas, qui*
circa annum 1250. floruit, opusculo XXII. di-
sputat contra Neotericum quemdam, qui for-
mam Sacramenti Pœnitentiæ non indicativam,
sed deprecativam esse scripserat. Sic autem ce-
put primum exorditur S. Doctor. Perleto li-
bello, a vobis exhibito, inveni assertionem cujus-
dam valde temerariam, dicentis, quod Sacerdos
absolvendo uti non debeat hac forma: Ego te
absolvo; quod quidem præsumtuosum judico:
quia repugnat Evangelicis dictis, Matth. c. 16.
Quodcumque solveris super terram, erit solutum
& in Cælis. &c. Et inferius: In Sacramento
autem Pœnitentiæ, verba Scripturæ, qua mo-
xime sunt scèstanda, non faciunt mentionem de
aliqua deprecatione, sed magis verbo indicativo
utitur. Non enim dicit: Quæcumque petieris
esse solvenda, erunt soluta, sed quæcumque sol-
veris, erunt soluta. Et iterum: Ad hæc etiam
est communis consuetudo tali forma utentium &c.

Tum addit Simonnet. *Dicent fortasse Ad-*
versarii, factum illud duodecim priorum Sæcu-
lorum a S. Thoma ignoratum esse: sed contra
est manifeste, quia tam insigne, & tanti momenti
factum, supposito, quod extiterit, fugere non po-
tuit tantum Doctorem &c.

Hæc Bulla vigesima octava Septembris data est. Sæcul. XIII.
A. C. 1227.

§. XXXVI.

*Pontifex Cruce signatorum abutum
urget.*

Ad illum annum, videlicet reparatæ salutis millesimum ducentessimum vigesimum septimum, delapsi sumus, quo Friderico Imperatori ad perficiendum bellum Palæstinæ mare trajiciendum fuisset, quod multoties promiserat.

Ut igitur Gregorius Papa ad suscipiendam navigationem Principem excitaret, misit ad eum Galonum, Ordinis Fratrum Prædicatorum virum cum Epistola, cujus hoc est exordium: *Ad ostendendam viam ligni vitæ errantibus in invio Mundi bujus posuit te Dominus quasi Cberubin, & versatilem gladium. Cum enim diligenti meditatione pensatur ratio in te illuminata dono intelligentiæ naturalis, & imaginatio defæcata in rei comprehensione sensibilis, quæ quasi versatilis una facie respicit rationem, alia naturam sensibilibum intuetur*, in te virtus motiva manifeste conspicitur, quæ possis inconueniens a conuenienti distinguere, & comprehensiva, qua facile valeas conueniens & licitum obtinere donum.* Tota Epistola, satis prolixa, hoc stilo

*I. ep. 142.
Rain. n. 21.
Gen.*

** hæc constructio in
Fleurio
omissa.*

Sæcul. XIII.
A.C. 1227.

filo concinnata est. Tumque diffunditur in explicationem mysticam totius ornatus Imperialis, scilicet, Crucis, cui veræ Crucis particula erat inserta, & Lanceæ, uno clavo Passionis Dominice decoratæ, quæ ambæ Imperatori inter publicas preces cum populo procedenti præferebantur. Coronæ, quæ in Cæsaris vertice fulgebat, Sceptri, quod manu dextra, & Globi aurei, quem sinistra tenebat; in his omnibus latebant Mysteria, etiam perfecta explicatione, quam adjungit Epistola, adhuc captu difficilia.

Ego vero de industria hujusmodi fragmenta ex Epistolis Summorum Pontificum, aliorumque Scriptorum, refero, quia scribentium stilus ad mores illius ævi pertinet. Quare ex his exemplis cognoscere possumus, quis genius, quod iudicium illorum fuerit, qui maximi momenti negotia ita tractabant.

Hanc Epistolam Papa Anagninæ dedit, quo mense Junio diverterat, ut aerem, in urbe Roma per æstivos calores insalubrem, fugeret. Interea Romæ homo quidem, sortis privatæ, Vicarium Papæ se mentitus (sed Papa inscio, & eum quibusdam Romanis subornantibus) in porticu, quæ S. Petri Basilicam cingit, versabatur. Hic omnes, Cruce signatos, quicumque peterent, ab edito voto, accepta

vit. Greg.
ep. Rain.
n. 24.

Ric. S. Ger.

cepta pecunia, absolvebat. Verum ^{Sæcul. XIII.} cum hujus rei certior factus esset Pon- ^{A. C. 1227.} tifex, re ad Senatorem Romanum delata, veterator, pro merito pœnas dedit.

Mense Augusto hæc agebantur, quo Fridericus cum Imperatrice conjugæ suæ Hydruntum profectus, ibidem ea relicta, Brundisium venit, quo universus exercitus confluerat, & classis, qua deveheretur, in anchoris stabat. Sed ecce! funesta lues, in gregarios milites Ducisque grassata, haud modicam eorum partem abstulit. Nihilominus Imperator ad navigationem se comparabat cum reliquis, atque eo animo ad Festum Nativitatis Beatæ Virginis, die octava Septembris, Hydruntum rediit, ubi, dum aliquamdiu commoratur, obiit Ludovicus Landgravius Thuringiæ, inter Cruce signatos Germanos potentissimus, relinquens viduam uxorem suam, Elisabetham, Andreæ Regis Hungariæ filiam, haud plus viginti annos natam, jam tunc variarum virtutum splendore coruscantem. Sed & ipse Fridericus Imperator, Hydrunti morbo correptus, hoc anno in Terram sanctam non transmisit.

§. XXXVII.

Hist. Ecclesiast. Tom. XIX.

D d d

Sæcul. XIII.
A. C. 1227.

§. XXXVII.

*Papa Imperatorem excommunicatum
denunciat.*

*vit. ap. Rain.
n. 29.*

At, cum Gregorio Papæ persuasum esset, Imperatorem valetudinem fingere, indignans tot moras necti, post promissa adeo solemnia, eum excommunicatum denunciavit, hoc Ritu. In Festo S. Michaelis Archangeli, die vigesima nona Septembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo, Anagninæ, in majore Ecclesia, vestibus Pontificalibus de more indutus, venerabilibus Fratribus Cardinalibus, Episcopis, aliisque Prælati assistentibus, sermonem exorsus est in illa verba: *Neesse est, ut veniant scandala.* Tum, postquam Michaelem Archangelum de Dracone triumphantem induxisset, Fridericum Imperatorem, excommunicationis censura innodatum, publice declaravit; quod frequenter monitus votum exequi recusaret, adjecitque, eum incurrisse in sententiam ab Honorio Papa latam, cui se sponte submisisset, nisi intra præstitutum tempus iter in Palæstinam susciperet. Pontifici, deinde Romam reverso, misit Imperator Nuncios, Archiepiscopos Regiensem, & Bariensem, Ducem Spoletanum, & Comitem Melitensem, qui Dominum suum

*Sup. n. 9.
Ric. S. Ger.
p. 990.*

suam excusarent. Sed Papa cunctis, Sæcul. XIII.
 quæ de Imperatoris morbo referebant, A. C. 1227.
 fidem non habens, congregatis Romæ,
 quotquot potuit, Italiæ, atque ipsius Si- I. ep. 177.
 cilie Præsulibus, in Octava S. Martini, to. II. Conc.
 videlicet die decima octava Novembris, p. 312. ex
 excommunicationis, in Imperatorem in- Math. Par.
 tortæ, sententiam confirmavit. Tum
 Epistola Encyclica ad omnes Episcopos
 data, refert, quoties profectionem pro-
 misisset, & distulisset Fridericus, qui sibi
 ipsi mensem Augustum anni millesimi
 ducentissimi vigesimi septimi, tanquam
 terminum ultimum, posuisset. Postea
 subjungit: *Nunc vero, quomodo tot pro-*
missa impleverit, advertite. Nam cum,
ipso jubente, & metu excommunicatio-
nis compellente, multa Cruce signatorum
millia, statuto tempore, ad portum Brun-
dusi properassent, quia civitatibus aliis
ferè omnibus, in portibus constitutis, Im-
perator offensus gratiam suam subtra-
xerat, tamdiu exercitum Christianum
in æstivi fervoris incendio, & corrupto
aere detinuit, ut non solum magna pars
plebis, sed etiam haud pauci Nobilium &
Magnatum peste, siti, ardoris vebemen-
tia, multisque aliis ærumnis confecti
expiraverint. Quorum numerum Epi-
scopi urbium Andegavi & Augustæ Vin-
delicorum auxerunt. Pars magna, mor-
bis affecta, rediens, in viis, & silvis, &
 D d d 2 mon-

Sæcul. XIII. *montibus occubuit. Reliqui, licentia ab*
A.C. 1227. *Imperatore ægre obtenta, licet naues*
ad transitum sufficientes non adessent, in
Festo tamen Nativitatis Beatæ Virgi-
nis, cum jam tempus immineret, quo na-
ves a transmarinis partibus revertere-
tur, maria sulcare ceperunt, ac pro
nomine Jesu Christi discrimini se com-
miserunt, credentes, Imperatorem baud
diu post eorum vestigia secuturum. Sed
ille, spreta hujus populi devotione, fide,
quam dederat, violata, & censuris Ec-
clesiasticis vilipensis, ægotantem se si-
mulans, ad consuetas Regni sui delicias
rediit.

Attendite igitur, & videte, si est
dolor, sicut dolor Apostolicæ Sedis, Ma-
tris vestræ, toties, & tam crudelem in
modum deceptæ a filio, in quem tot bene-
ficia contulit, & in quo spem recuperan-
dæ Palæstinæ pridem posuerat. Pra-
terea Sacra Sedes, ne astuto Principi qua-
liscunque occasio aut species relinqueret-
tur, cur averteretur a Terræ sanctæ sub-
sidio, Episcoporum exilia, spoliationem,
captivitatem, injuriasque ac mala innu-
mera, Ecclesiis, viris Religiosis, & Cle-
ricis irrogata, interim dissimulavit, ut
nihil dicamus de querelis populorum, No-
biliumque, ex Patrimonio Ecclesiæ Ro-
manæ, contra ipsum clamantium. Clau-
dit Epistolam Papa, denuncians, Fride-
ricum

ricum Imperatorem anathemate esse ^{Sæcul. XIII.}
 confixum, cui se sua voluntate subjecis- ^{A.C. 1227.}
 set, & graviores pœnas, si contumax a-
 nimus flecti non possit, scilicet Deposi-
 tionem, minatur. Hæc est Gregorii Pa-
 pæ Epistola.

§. XXXVIII.

Imperatoris Apologia.

Non defuit Friderico Imperatori, quod ^{Abb. Ursp.}
 responderet; sed Capuam reversus, ^{p. 324.}
 eodem mense Novembri, data ad Ger-
 mania Principes prolixa Epistola, totam
 vitæ suæ seriem repetebat, cumulabat-
 que conquerendi causas, quas sibi con-
 tra Pontifices esse jactabat; hos enim
 speciem præbentes, quasi sibi infanti Re-
 gnum custodirent, illud imminuisse, Ot-
 tonem ad Imperium, se præterito & spre-
 to, evexisse, ac reliqua, a nobis supe-
 rius memorata. Excusabat, quod hoc ^{Ric. S. Ger.}
 anno navigationem non suscepisset, no- ^{p. 991.}
 tissimo omnibus morbo, ajebatque, præ-
 miis se potius quam pœnis ab Ecclesia
 afficiendum fuisse, ob sumtus in expedi-
 tionem sacram impenso. Tandem Pon-
 tificem excusationem suam, quam ei per
 Nuncios exponi jussisset, rejecisse que-
 rebatur. Eamdem Apologiam Frideri-
 cus Romam misit, usus opera cujusdam ^{Matth. Par.}
 Magistri, nomine Rosfridi, Beneventani, ^{1228.}
 qui eam in Capitolio, consentientibus
 D d d 3 Roma-

Sæcul. XIII. Romanis, publice recitari curavit. Scripsit quoque Imperator omnibus Regibus & Principibus Christiani orbis, affirmans, neutiquam se proficiscendi propositum abjecisse (sparsa in vulgus causa commentitia, quod Papa falso sibi imponeret) sed fontico morbo hucusque fuisse se impeditum: cujus rei testem Deum invocabat. Addebat; se, ut primum sanitati esset restitutus, editum votum, ut Cæsaris Majestatem deceret, implendum.

In Epistola ad Regem Angliæ data, dicebat: *Ecclesia Romana usque adeo avari cupiditate flagrat, ut Bonis Ecclesiasticis ejus avaritiæ non sufficientibus, supremos Principes spoliare, sibi que vegetales efficere, non erubescat. Cujus triste & propinquum exemplum in Joanne Rege, parente tuo, habes. Sed & aliud oculis nostris obversatur, nempe Comitum Tolosani, multorumque aliorum Principum, quorum Ditiones Interdicto constrinxit, donec eas penitus in servitutem redigat. Silentio prætereo Simoniam, exactiones in Clericos inauditas, usuras tum manifestas, tum palliatis, quibus totum terrarum orbem inficit. Nihilominus si Romanos, hosce humani sanguinis beluones, audias, mellei sunt sermones. Curiam Romanam prædicant, Matrem nostram, & Nutricem carissimam,*
quam

quam verius Novercam & malorum o-
 mnium fontem dixeris. Qualis enim
 sit, ex fructibus cognoscitur. In omnes
 orbis partes Legatis mittit cum potesta-
 te puniendi, suspendendi, excommunican-
 di, non ut Fideles Verbum Dei edoceant,
 sed ut extortas pecunias congerant, &
 metant, ubi non seminarunt. Ita opes
 Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque
 piorum Hospitiorum, quæ Majores nostri,
 ad alendos peregrinos pauperesque, con-
 diderunt, prædantur. Hodieque Roma-
 ni isti nobilitate generis, animique for-
 titudine, destituti, solis literis inflati,
 Regna ambiunt, & Imperia. Verum-
 enimvero Ecclesia paupertate & morum
 simplicitate superstructa est, nec morta-
 lium aliquis aliud fundamentum, quam
 quod Iesus Christus posuit, potest in-
 ducere. Jam accusor, quod statuto tem-
 pore mare trajicere noluerim; sed, præ-
 ter ægritudinem corporis, quædam ne-
 gotia, necessario pertractanda, maxime
 autem Siculorum rebellium seditio, me
 detinuerunt. Nec enim sanæ rationi con-
 sentaneum, nec rei Christianæ utile fuis-
 set, intestino post tergum bello fervente,
 in Terram sanctam navigare (*).

D d d 4 §. XXXIX.

(*) Hæc nimium exaggerari queritur Rai-
 naldus, ad annum Christi 1227. num. 45. & ad-
 dit.

Sæcul. XIII.
 A.C. 1227.

Sæcul. XIII,
A. C. 1227.

§. XXXIX.

Terræ sanctæ facies.

Dum hæc in Europa aguntur, Summus Pontifex Gregorius certior fit de rerum facie in Terra sancta, acceptis literis patentibus, nomine Patriarchæ Hierosolymitani, Archiepiscoporum Cæsariensis, Nazarethani, Narbonensis, Episcoporum Wintoniensis, Exoniensis, & trium Magistrorum Hospitii, Templi, & Ordinis Teutonici, scriptis. Erant vero hujusmodi: *Quis dolorem nostrum verbis satis explicet, postquam luctuosum nuncium aures nostras perculit, Imperatorem in expeditione mensis Augusti in Syriam non venisse? qua re comperta pii peregrini, numero plus quam quadraginta*

*Greg. ep. I.
no. II. Conc.
p. 310. ex
Math. Par.
an. 1227.*

* Mathæus
Paris.

dit. Jam vero superius a nobis dictis Parisiæ, cæteroquin Romanis Pontificibus iniquissimi, testimonium adducere visum, qui de expeditione sacra, a Friderico turpiter deserta, hæc ait: Quod factum Imperatoris damnose nimis redundavit in dedecus, & in præjudicium totius negotii Crucifixi. Tum subdit in eodem loco Rainaldus: Ex his superioribus Conradus Abbas Urspergensis, Friderici Faator, confutatur, qui eo insolentiæ prorupit, ut Gregorium Papam elatum arrogantia, levissimis de causis, nullo judiciorum servato ordine, Imperatorem sacris movisse, monumentis tradere ausus sit.

ginta millia virorum, omnibus ad mili-
 tandum instructorum, iisdem navibus,
 quibus advehi fuerant, reversi sunt. At-
 tamen post eorum abitum remanserunt
 octingenti fere viri Equestres, una voce
 clamantes; vel induciæ tollendæ sunt,
 vel nobis simul omnibus redeundum. Vix-
 que ab iis impetrare potuissimus, ut
 persistant, nisi Ducis Limburgi, qui
 Cæsaris nomine exercitui imperaturus
 erat, auctoritas intercessisset. Ad deli-
 berandum ergo hac de re convenimus,
 cumque Dux edixisset, velle se inducias
 solvere, objecimus, rem periculi plenam
 esse, quin etiam Christianæ honestati ad-
 versam, eo quod juramento firmatæ fuis-
 sent. At qui cum Duce sentiebant, re-
 sponderunt; Papam excommunicationis
 fulmen in omnes illos Cruce signatos mi-
 sisse, qui præterito mense Augusto non
 proficiscerentur, quamvis sciret, inducias
 solvendi tempus non ante duos annos ad-
 futurum. Unde eruebant, Pontificis
 mentem haud esse, ut illæ servarentur.
 Præterea sacri milites, otio torpere no-
 lentes, dicebant: Si discedant Equites,
 irruent in nos Saraceni, nulla inducia-
 rum reverentia cobibiti. Tandem con-
 siliis in utramque partem diu versatis,
 statutum, Hierosolymam movere, atque,
 ut tutior pateret via, urbes Cæsaream &
 JOPPEN munimentis firmare, quod

Sæcul. XIII.
 A.C. 1227.

D d d 5 infra

Sæcul. XIII. A.C. 1228. *infra mensem futuri mensis Augusti profici posse creditur. Itaque banc Ducibus sententiam stare, extra mœnia urbis Acriæ ad Festum SS. Simonis & Judæ denunciatum est, additis ad omnes Crucifigatos mandatis; omnia necessaria ad iter Cæsaream versus, die Festum Omnium Sanctorum sequente, suscipiendum pararent. In fine Epistolæ auxilium totius orbis Christiani efflagitant, quam Papa suis literis, vigesima tertia Decembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo datis, insertam ad omnes Fideles misit, sicque ruptis cum Saracenis induciis auctoritatem conciliavit.*

§. XL.

Imperator iterum excommunicatur.

to. II. Conc. p. 413. Aff. ap. Rai. 1228. **I**nterea Gregorius Papa censuras censuris in Fridericum Imperatorem adiciebat. Quippe Romam convocatis Episcopis ex Longobardia, Thuscia, Apulia, ex toto Ecclesiæ Patrimonio, aliisque Præsulibus, qui ad ejus Curiam in causis suis privatis venerant, orationem pronunciavit, præmissis illis Jobi verbis: *Job. 31. 35. Quis mihi tribuet Auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens? Tum, collectis præsentium suffragiis, modoque, quo in Imperatorem ageret, constituto, eum in Cœna Domini, die vigesima tertia Martii, anno millesimo ducente*

Sæcul. XIII.
A.C. 1228.

centesimo vigesimo octavo, iterum anathemate perculit. Quod docent Gregorii literæ ad Apulos Præsules missæ, in quibus dicit: *Cum dolentes cognosceremus, quod Fridericus, Romanorum Imperator, salutem suam negligeret, dum salubre votum, quod Deo obtulerat, addito juramento, exolvere detrectabat, medicinalem Petri gladium in eum exeruimus, in spiritu lenitatis, & excommunicationis sententiam protulimus, cui se ipsum subjecerat, nisi statuto termino in Terræ sanctæ subsidium mare trajiceret. Sed, pro dolor! non solum nulla penitentia contumacem subiit, verum etiam addens peccata peccatis, spretis Ecclesiæ clavibus, divina se præsentate celebrari præcepit. Quare ne videremur blandiri homini contra Deum, proximo præterito Festo Cænæ Dominicæ, in eundem Imperatorem, tum, quod navigationem in Terram sanctam non sit exorsus, nec promissum militum numerum, nec pecuniam miserit, tum quod Archiepiscopum Tarentinum ad Sedem propriam accedere, & populum suum invisere non sit passus. Præterea, quod Templarios, & Hospitalarios bonis mobilibus, & immobilibus, in Regno Sicilia, temere exuerit, quod initam Transactionem inter ipsum, Comitem Celanensem & Rainaldum Averfanum, pro cuius firmitate,*

Sæcul. XIII.
A.C. 1228.

mitate, ad ipsius preces, Ecclesia Romana fidejusserat, servare contemserit, quod Comitem Rogerium Crucesignatum, & Apostolicæ Sedis tutela munitum, ditioribus suis privaverit, & filium ejus in captivitate detentum, ad mandatum Apostolicum sæpius repetitum, reddere denegaverit, excommunicationis sententiam solemniter duximus promulgandam.

Excommunicationi adjecimus quoque, & præcepimus, ut loca quælibet, ad quæ Imperator pervenerit, Ecclesiastico subjaceant Interdicto, & quamdiu præsens fuerit, nulla divina Officia celebrentur. Officio, Beneficioque privamus omnes, qui coram eo divina ausu temerario celebraverint. Quod si vero Fredericus amplius Officiis divinis se ingesserit, contra eum tanquam contra Hæreticum, & clavium Ecclesiæ contemtorem agemus. Et si Ecclesias, ac viros Ecclesiasticos opprimere, & libertatem Ecclesiasticam conculcare, si excommunicationem spernere non desinat, omnes, qui ei juramento Fidelitatis adstricti sunt, imprimis Regni Siciliae Vasallos, ab hoc vinculo absolvemus, cum secundum Decretum Urbani Papæ II. subditi fidem, jurato datam, Principi Christiano, Deo, ejusque Sanctis adversanti, & eorum præcepta violanti, servare non teneant.

neantur. Ego quidem hoc Urbani II. Sæcul. XIII. A.C. 1228.
 Decretum nullibi alias vidi. Tum pro-
 sequitur Gregorius Papa: *Tandem, si
 Imperator finem non faciat diripiendi
 facultates orphanorum, pupillorum, vi-
 duarum, nobilium, aliorumque subdito-
 rum in Regno, quod ad Romanam Eccle-
 siam singulari jure noscitur pertinere,
 merito timeat, ne jure Feudi exua-
 tur (*)*.

§. XLI.

(*) Ad hunc locum Natalis Alexander ad
 Sæc. XIII. pag. 31. dicit: *Quod factum indire-
 ctæ potestatis Ecclesiæ in Temporalia Principum,
 eidem jure Feudi minime subditorum, Asserto-
 ribus nullatenus favet, cum Fridericus secundus
 ob Sicilia Regnum Romanæ Ecclesiæ Benefi-
 ciarius esset, quod Pontifex in sententia adver-
 sus ipsum lata expressit.*

Verumtamen, ut ex sequentibus appare-
 bit, Gregorius Pontifex non solum subditos
 Regni Siciliae, sed quoscunque Friderico Im-
 peratori obstrictos a vinculo Fidei absolvisse
 videtur. Ceterum Historiæ Lectori, omnia ac-
 curate noranti, facile patebit, mentem Sum-
 morum Pontificum, subditos ab obedientia li-
 berantium, non fuisse, Principes excommuni-
 catos in perpetuum jure suo privare, sed us-
 quedam resipiscerent, & a Censuris absolve-
 rentur.

Sæcul. XIII.

A.C. 1228.

§. XLI.

*Imperatoris Profectio.**Ric. S. Ger.*
p. 992.*Abb. Ursp.*
p. 325.

Fridericus Imperator, nulla ratione habita terribilis Bullæ, Baruli Festum Resurrectionis Domini, hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, in diem vigesimam sextam Martii incidens, magnificentissime celebravit, auctaque est festiva læticia, allato nuncio, Coradinum, Damasci Soldanum, mortalitatem exuisse. Quare in subsidium Terræ sanctæ Richardum, Castrorum Tribunum in Principatu, cum quingentis Equitibus misit. Inter hæc, vocatos ad se Romanorum potentissimos ac nobilissimos, ex Familia Frangipanum, aliisque stirpibus, permovit, ut præstito, more Vasallorum Imperii, juramento, ipsi in omnibus negotiis promitterent obsequium. Ergo petiit, ut omnium bonorum suorum immobilium, sive ædes essent, sive agri, quos Romæ possiderent, pretium statuerent, eaque omnia, parata pecunia emta, Titulo Feudi iisdem reddidit. Hi Romam reversi, contra Papam populum incitarunt, qui insanae rabie actus, Feria II. Paschæ, Summum Pontificem, in Basilica S. Petri Missam celebrantem, inconditis clamoribus, minisque, necdum persoluto Sacro Canone, insectatus est. Itaque Gregorius, cum

crede

crederet, se Romæ tuto versari non pos-
se, mense Aprili, valido cinctus præsidio,
illinc abiens, Reate petiit, & postea Spo-
letum, ac Perusium perrexit.

Sæcul. XIII.

A.C 1228.

Sub idem tempus Imperator fre-
quentissimum conventum prope Baru-
lum coegit, ut res Regni Siciliae, dum
ipse abesset, componeret. Totius Si-
ciliae Præfectum, summa potestate præ-
ditum, edixit Rainaldum, Ducem Spo-
letanum, & si, fatis ita ferentibus, ipse
in profectioe transmarina, quam susci-
piebat, vita fungeretur, ordinem, quo
ei Filii in Regno succederent, præscri-
psit. Mense Junio deinde in portu Brun-
dusi navem conscendit, unde Hidrun-
tum devectus, vela in Palæstinam fecit,
quo etiam felici trajectu pervenit, inde-
que non ante annum sequentem rediit.
Pontifex abituro districte denunciari
jusserat, ne tanquam Cruce signatus ma-
ri se credere præsumeret, priusquam a
Censuris, quibus erat innodatus, abso-
latus fuisset. Sed Legati surdo fabu-
lam cecinerunt.

Ric. p. 992.

p. 993.

Sanut. p. 211

§. XLII.

S. Francisci Canonizatio.

Gregorius Papa, cum Spoleti commo-
raretur, inde ad canonizandum
S. Franciscum Assisum venit. Antequam
urbem intraret, in Ecclesia S. Damiani
substi-

Sæcul. XIII.
A.C. 1228.

substitit, ut Sanctam Claram inviseret, quam commonuit, recipienda esse bona immobilia, ut multiplex incommodum a sororibus removeret, pollicitus, se ad sustentandas sacras Virgines fundos Monasterio abunde collaturum. Illa constante animo respondit; Sanctam paupertatem omnibus bonis esse præstantiorem, nec se ullum aliud thesauri genus novisse, quod ab hominibus auferri non posset. Adjecit Papa: *Si voto edito probiberis, filia mea, ne consentias, ab eo te absolvo.* Et illa iterum *Sancte Pater! a nullo vinculo, nisi a peccatis meis, absolvi peto.*

Vad. 1228.
n. 1. Vita
S. Claræ c. 9.
ap. Sur.
12. Aug.

Tum Papa, Assisium ingressus, sine mora ad S. Francisci sepulchrum se contulit, ubi diu orans Ecclesiam, tot fluctibus agitatum, ei commendavit. Ad consilium deinde Cardinales, se comitantes, convocavit, ut statuerent, qua ratione hæc Canonizatio peragenda esset.

Bon. vit. c. 15 De Miraculis, a Viro sancto editis, tam in urbe, quam in regione propinqua, accurate inquiri iussit. Auditi testes, eorum testimonialiteris mandata, & omnia Acta illis Cardinalibus relegenda data sunt, qui Canonizationi minime favabant. Cum deinde Papa Perusum petiisset, causa negotii, quod ei cum Imperatore erat, ibidem acta illa denuo totius Consistorii examini & iudicio exposuit,

suit, & postquam ex unanimi omnium sententia Canonizatio fuisset approbata, cum tota Curia Assisium rediit, quo, fama futura solemnitate prænuntiante, maxima multitudo Prælatorum, Optimatum, populique ex multis provinciis confluerat. Tandem die Dominica, decima sexta Julii, anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, in Ecclesia S. Georgii, ubi Sancti corpus quiescebat, Papa, sedens in solio editiore, ad populum peroravit, præmissis illis verbis Ecclesiastici: *Quasi Stella matutina in medio nebulae, & quasi Luna plena in diebus suis lucet, & quasi Sol refulgens, sic ille effulsit in Templo Dei.* Tum, cum Octavianus, Cardinalis Diaconus titulo SS. Sergii & Bachi, Innocentii III. Papæ familiæ consanguinitate propinquus, Acta de Miraculis publice recitasset, Rainerius Cappocio, & ipse Cardinalis Diaconus, aliam orationem exorsus, eadem acta confirmavit. Mox Summus Pontifex stans elata voce ait: *Quod igitur ad Gloriam Dei, Sanctæ Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & ad honorem Ecclesiæ Romanæ cedat, ex consilio Fratrum nostrorum, Beatum Patrem Franciscum, quem Deus Gloriosum effecit in Cælo, Sanctorum Catalago inseri statuimus, ejusque Festum in die obitus celebrari jubemus.* Illico Cardinalis

Sæcul. XIII.

A.C. 1228.

Eccli. 50. 6.

Hist. Eccles. Tom. XIX, E e l i u m

Sæcul.XIII. lium voces, *Te Deum laudamus* cantan-
 A.C.1228. tium, insonuere, quibus populus, maxi-
 mam lætitiã professus, festivo clamore
 respondit. Bulla Canonizationis exin-
 de post triduum data est, in qua præci-
 pitur, ut Festum quarta Octobris sole-
 mni ritu agatur.

§. XLIII.

*Bellum inter Papam, & Imperatoris
 Duces.*

Fridericus Imperator, priusquam ma-
 se committeret, Gregorio Papæ scri-
 pserat, se Rainaldo, Duci Spoletano, am-
 plissimam potestatem dedisse, qua, se ab-
 sente, de pace cum Ecclesia ageret, eam-
 que Epistolam Archiepiscopo Bariensi,
 & Henrico Comiti Melitensi deferen-
 dam tradidit. Quamvis vero persua-
 sum esset Papæ, Legationem hanc ad se
 fallendum esse adornatam, Archiepisco-
 po tamen & Comiti, dum omnia expo-
 suissent, patientes aures dedit; sed in-
 telligens, nihil ferme aliud eos in man-
 datis habere, quam ut Rainaldum pacis
 conciliatorem offerrent, respondit; hunc
 virum esse manifestum Ecclesiæ hostem,
 quocum ipse de fœderibus tractare nec
 posset, nec deceret. Legati, abjecta
 mora, discesserunt, & Rainaldus, omis-
 so omni alio consilio, arma Pontifici in-
 ferre

inferre statuit. Ergo Patrimonium Sæcul. XIII.
 S. Petri invadit, numerans in exercitu A.C. 1228.
 suo quasdam cohortes Saracenorum ex
 Sicilia, Imperatori, Domino suo, subdi-
 torum. Ceterum in hoc bello non nul-
 li Sacerdotes, aliique Clerici capti, mem-
 bris truncati, oculis privati, & Cruci
 affixi leguntur. Exinde Rainaldus, mi-
 lite in Marchiam Anconitanam, & Du-
 catum Spoletanum deducto, multos sub-
 ditos ab obsequio Pontifici debito ab-
 straxit, Saracenis, qui sub eo militabant,
 ubique impietatis, crudelitatisque ex-
 empla præbentibus (*).

Pontifex, excommunicationis Cen- Ric. S. Ger.
 sura contra Rainaldum, ejusque milites p. 994.
 frustra adhibita, intellexit, tanto malo
 remedia efficaciora esse opponenda, cre-
 diditque, sibi licere gladio etiam mate-
 rialiter uti, atque vim vi repellere. Ergo
 equitum turmas, peditumque, in Rainal-
 dum immisit, Duce Joanne Briennio,
 Rege Hierosolymæ, Imperatori, Gene-
 ro suo, ut memoravimus, infensissimo,
 cui in imperio militari socium, Joannem
 Columnium, Cardinalem, dedit. Quia
 de defensione Bonorum Temporalium
 Ecclesiæ agebatur, hi milites exercitus

E e e 2 Eccle-

(*) Nempe Rainaldus titulum Ducatus
 Spoletani sine vitulo, ut loqui solemus, ges-
 serit.

Sæcul. XIII. Ecclesiæ simpliciter dicebantur, sequo
 A C. 1228. Religioni servire, more Cruce signato-
 rum, aiebant; sed loco Crucis signum
 Clavium in vestibus suis gerebant, pot-
 estatis Ecclesiasticæ Symbolum. Exin-
 de Papa, cum Rainaldum nihil a pro-
 posito dimoveret, ut eum ab Ecclesiæ
 ditionibus avelleret, Imperatoris terras
 invadere constituit. Quare alium exer-
 citum, ex Campania, & ora maritima
 contractum, Pandolpho Anagnienti, Ca-
 pellano suo, cum S. Sedis Legati potesta-
 te, Comitibus Celanensi & Rogerio de
 Aquila, quos Fridericus e Regno suo ex-
 pulerat, Ducibus, emisit. Hi in terras
 Regni Siciliae anno sequente, millesimo
 ducentesimo vigesimo nono, mense Ja-
 nuario, irruerunt.

Thomas Aquinas, Comes Atteranen-
 sis, quem præter alios Siciliae, se absen-
 te, Rectorem Fridericus Imperator præ-
 fecerat, ei, in Syria commoranti, de hoc
 Bello scripsit in hunc modum: *Postquam*
ap. Math. Paris. 1229. *discesseras, Gregorius Papa, comparato*
ingenti exercitu, cui Joannem Briennium,
Hierosolymorum olim Regem, &
aliosque viros fortes præfecit, Ditiones
tuas invasit, adversante Lege Christiana,
gladio materiali victoriam de te
relaturus, quia, ut ait, vincere te nu-
quit gladio spirituali. Nam Joannes
Briennius, copias ex Francia, vicinis-
que

Thomas
 Aquinas.

que Regionibus magno sane numero collectas, accepta a Gregorio pecunia, alit, spe accensus, ad Imperium Romanum perveniendi, si te subigere valeat. Si, ipso audiente, de Imperatore mentio fiat, ait, Imperatorem præter se nullum existere. Ceterum in hoc bello milites Papales pagos incendunt, pecora abigunt, captivos abstrabunt, ex quibus acerbissimis cruciatibus enorme libertatis pretium extorquent, ne quidem mulieribus parcunt, sed neque Ecclesiarum, & Cæmeteriorum aliqua superest reverentia. Arces & oppida tua capiunt, videlicet Imperatoris Romanorum, absentis, & bello, pro Jesu Christo suscepto, impediti. Amici tui, & præcipue Imperii Antistites mirantur, & quærunt, qua fide, quo animo, Episcopus, S. Petri Cathedram tenens, talia moliri possit, & Christianis bellum inferre, postquam Sancto Petro, olim gladio materiali percutere meditati, Dominus Noster gladium suum in vaginam mittere præcepit, addens hanc doctrinam; omnis enim, qui percusserit in gladio, gladio peribit? obstupescunt, inquam, qui causæ tuæ favent, qua demum mente Episcopus ille, qui ferme quotidie fures, incendiarios, & Christianorum hostes, excommunicationis fulmine insectatur, eadem peragentibus auctoritatem suam commodet?

Matth. 26.

E e e 3

Itaque

Sæcul. XIII. *Itaque salutis tuæ, & honori consule, Imperator, quippe Joannis Briennii industria portus omnes, & oræ externæ exploratoribus custodiuntur, ut te, si incautus redeas, quod Deus avertat, captivum detineant.*

ap. Math.
Par. 1228.
to. II. Conc.
p. 315.

At Papa quoque contra eundem Comitem Thomam Atteranensem, datis ad Cardinalem Romanum, S. Sedis in Francia Legatum, die quinta Augusti, anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, literis, vehementissime conquestus est. In iis dicit: *Imperator operas Saracenorum utitur, ad destruendas aedes Hospitaliariorum, & Templariorum, quibus in acceptis referimus, quod aliquam saltem Palaestine partem teneamus. Videlicet Imperator, ejusque Præfecti agros istorum Equitum, in Regno positos, a Saracenis Siciliae diripi patiebantur. Tum iterum Epistola: Cum Templarii prædam, a Saracenis actam, qua sex millibus marcarum argenti aestimari poterat, & raptoribus hisce detractam, recuperassent, Thomas, Comes Atteranensis, eam, a redeuntibus Equitibus vi adhibita extortam, Saracenis reddidit, & quidem eo facilius, quod Templarii, Ordinis sui Statuta servantes, arma contra Christianos vertere non auderent. Thomas præterea, utriusque Ordinis Militaris hostis implacabilis,*
multis

multis ditionibus eis ereptis, privilegia quoque, eisdem a Sede Apostolica concessa, delere cupit, ut Jurisdictioni Imperatoris subdantur. Centum etiam Saracenos, Hospitalariorum & Templariorum mancipia, quæ in Sicilia & Apulia habebant, Saracenis restituit, nulla ad illatum damnum resarciendum refusa pecunia. Illud quoque notes, Fredericum, quamvis paucis succinctus copiis navem conscendisset, ingentem tamen Christianorum & Saracenorum exercitum in Patrimonium S. Petri effudisse. Quare Dilectioni tuæ præcipiendo mandamus; in terris legationis tuæ Fideles exhortare, ut ad defendendam Fidem & Religionem, tanquam pro focis domesticis pugnaturi, se se accingant.

§. XLIV.

Stephani Langtonii obitus. Electio impugnatur.

In Anglia Stephanus Langtonius, Archiepiscopus Cantuariensis, mortem oppetiit, die nona Julii, anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, postquam hanc Ecclesiam annis viginti duobus rexisset. Non nullos posteris reliquit calamitatis sui partus, quorum præcipui sunt Commentarii in S. Scripturam, hucusque inediti, in Bibliothecis Angliæ con-

Math. Par.
1228.
Sup. lib.
I. XXVI.
§. 30.
Cave Sæc.
Schol. p. 488.

Ecc 4 serva-

Sæcul. XIII.
A.C. 1228.

fervati. Ipso defuncto, Monachi Cantuarienses, impetrata a Rege licentia, ex gremio suo Magistrum Gualterium *de Hemesbam*, tertia die Augusti, elegerunt. Sed Rex, in conspectum suum a Monachis deductum, postquam diu deliberasset, rejecit. Objiciebatur Gualterio, quod ejus parens, furti convictus, in patibulo, laqueo suffocatus, vitam finiisset, & illo tempore, quo Anglia Interdicto Ecclesiastico subjacebat, a partibus hostium Joannis Regis stetit. Episcopi vero Provinciæ Cantuariensis præterea Gualterio exprobrabant, quod ei, ex consuetudine sacrilegi complexus cum femina Deo dicata, filii nati essent; & denique contendebant, nullius esse roboris illam electionem, cujus ipsi, læso jure suo, expertes fuissent. Gualterius electionem peractam omnibus viribus defendebat, &, interjecta ad S. Sedem Appellatione, delectisque quibusdam Monachis, viæ sociis, Summi Pontificis conspectum subire non dubitavit. At Papa, non ignarus, Episcopos ei, & Regem adversari, judicium causæ distulit, donec omnia adjuncta plene cognosceret. Rex autem, & Episcopi, ubi resciverunt, Gualterium Romam petiisse, omnia, quorum is accusabatur, conscripta, & annulis suis munita, per Episcopos Rosensem, & Cestriensem, addito socio

focio Doctore Joanne, Archidiacono Redfordiensi, qui Causidici munus obiret, Papæ miserunt. Ille cunctis mature pensatis, & Cardinalibus ad consilium adhibitis, utrique Parti litiganti diem constituit, Feriam V. post Cineres, mensis Martii primam, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, qua sententia decretoria proferretur.

§. XLV.

Archiepiscopus Armenus in Anglia.

Eodem anno, millesimo ducentesimo vigesimo octavo, quidam ex Armenia Archiepiscopus in Angliam appulit, Reliquias Sanctorum, & Ecclesias visurus, peragratis jam ante aliis Regnis, literas commendatitias a Summo Pontifice habens. Eum ad Monasterium S. Albani quoque, primi in Anglia Martyris, divertentem Abbas monachique, e quorum numero Mathæus Paris erat, Historiæ Scriptor notissimus, humanissime exceperunt. Cumque hospes aliquamdiu apud eos commoraretur, ut ex itinere fatigatus refocillaretur, per interpretes suos varia de Religione & moribus Anglorum sciscitabatur, ipseque vicissim mirabilia de Provinciis Orientis narrabat. Cuidam Monacho percontanti, an in ejus patria Conceptio S. Virginis celebraretur, omnino, respondit, *bujus-*

E e e s que

Math. Par. eod.

Sæcul. XIII. A.C. 1228. *que cultus causa est, quod Angelus
jus Conceptionem Joachimo afflicto, &
in deserto commoranti, denunciaverit.
Ob eandem causam conceptionem S. Joan-
nis Baptistæ colimus: Conceptionem au-
tem Domini nostri honorandam esse, ni-
mo Fidelium dubitat. Itaque Festum
trinæ bujusce Conceptionis in Armenia
celebramus (*).*

Cum ex Archiepiscopo præter alia
quæsiuissent, quid ipse sciret, sentiret
de quodam *Josepb*, qui in ore omnium
esset, qui in Passione Domini Nostri præ-
sens fuisse, atque in eam diem in argu-
mentum Veritatis & Religionis Christia-
næ vitam trahere diceretur? Vir Eque-
stris, Antiochenus, Archiepiscopi in iti-
nere Comes, & Interpres, Francorum
lingua respondit: *Archiepiscopus, Do-
minus meus, hunc JOSEPH perbene no-
vit, quem haud diu ante, quam profes-
sionem in Occidentem exordiretur, in
Armenia convivam ad mensam suam
admisit. Cum JESUS Christus, a Ju-
dæis captus, & ad Pilatum deductus
fuisset, viro isti, qui tunc Cartaphilus
vocabatur, in palatio Pilati portæ custo-
dia commissa erat, isque Judæis JESUM,
ipsis*

(*) Festum Conceptionis Domini Nostri
non est aliud, quam Festum Annunciationis Be-
atæ Virginis.

ipsis urgentibus, condemnatum extra
 Prætorium raptantibus, pugno in ejus
 dorsum impacto, insultans ait: Vade ci-
 to, Jesu, vade, quid moraris? quem
 severo vultu intuens Jesus, respondit:
 vado; tibi vero, usque dum veniam, ex-
 pectandum erit. Post Domini Nostri
 Resurrectionem Cartaphilus manibus A-
 nania, qui S. Paulum baptizavit, sacro
 fonte ablutus est, accepitque nomen JO-
 SEPH, tunc annos natus triginta. Ubi
 vero ad annum ætatis suæ centesimum
 pervenit, in morbum incidit, opinione o-
 mnium quacunque medicina fortio-
 rem, in quo quasi in extasim raptus est. Sed
 postea sanitati restitutus, eodem vigore,
 quo anno vitæ suæ trigésimo valebat, se
 præditum sensit, indeque, quoties evoluti
 erant centum anni, toties corporis ejus
 species viresque juvenili robore reparatæ
 sunt. Sæpe in Armenia, aliisque Ori-
 entis provinciis, apud Episcopos aut ceteros
 Præsules diversatur, vir pius, & vitæ
 sanctitate eximius, silentii amans, par-
 cissime enim loquitur, nisi ut ad quæstio-
 nes, quæ de antiquorum temporum fa-
 ctis proponuntur, respondeat. Dona si-
 bi oblata respuit, iis, quæ ad alimentum
 corporis & vestitum necessaria sunt, con-
 tentus. Lacrymas largissime fundit, &
 trepidans ultimum Jesu Christi adven-
 tum expectat; misericordiam tamen spe-
 rat,

Sæcul. XIII.

A.C. 1228.

Sæcul. XIII.
A.C. 1228.

rat, quoniam Redemptorem ex ignorantia læsit. Nemo non videt, ex hac fibula natam esse illam de Judæo in perpetuum errante, nec satis liquet, an magis Armenorum, eam venditantium, impudentia, vel Anglorum, iisdem fidem adhibentium, simplicitas notari mereatur.

§. XLVI.

Friderici in Terram sanctam adventus.

Math. Par.
an. 1228.

Fridericus Imperator in portum Acriensem Palæstinæ in Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis, videlicet die septima Septembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, invehit. In ejus classe haud plures quam viginti triremes numerabantur, quibus centum viros Equestres imposuerat. Ceterum Cruce signatos in illa Regione haud sane ad obediendum promptos habuit; miserat enim Papa duos Fratres Minores, jussu suo literas ad Patriarcham Hierosolymitanum deferentes, in quibus Præfuli præcipiebat, ut Imperatorem excommunicatum & perjurum denunciaret. Hospitalariis quoque, Templariis, & Equitibus Teutonicis prohibebat, ne ei obedirent, aut ullam eorum, quæ imperaret, rationem haberent. Imperatori,

tori, cum Christiani in Palaestina sub Du-
 ce Limburgi Cæsaream, & quasdam ar-
 ces munivissent, & solius urbis *Joppe*
 mœnia essent reparanda, ut via Hiero-
 solymam pateret, probabatur idem con-
 siliū; quare suscepto exercitus impe-
 rio, ad eam urbem die decima quinta
 Novembris pervenit. Interea Ægypti
 Soldanus *Melic-Camel* prope Gazam, &
 Soldanus Damasci, ejus Nepos, Napiusii
 diversa castra, sed utraque unius diei
 itinere a Christianis remota, tenebant.

Fridericus Imperator, duobus Opti-
 matibus cum donis ad *Melic-Camel* mis-
 sis, ei significari jussit; cupere se eum
 affectu fratris & amici colere, nec se in
 Palaestinam venisse, ductum cupiditate,
 alienum Regnum subigendi, cum in Eu-
 ropa tam ampla terrarum spatia teneret,
 ut hominis quantumcunque ambitiosi a-
 nimum satiari possint; sed ideo adesse,
 ut loca sacra reciperet, & Regnum Hie-
 rosolymæ, cujus ex Justitiæ legibus fi-
 lius suus Dominus esset. Nempe Im-
 peratrix Jolanda, altera Friderici uxor,
 eodem anno fato concesserat, postquam
 filium, Conradum nominatum, in lucem
 edidisset. Legati Imperatoris addide-
 runt; si Soldanus Hierosolymam restitue-
 ret, nec bello opus esse, nec ullum san-
 guinem humanum effusum iri. Non
 nesciebat *Melic-Camel*, quam exiguæ
 Fride-

Sæcul. XIII.
 A.C. 1228.

Ep. Frid!
Math. Par.
 1229.

Sanut.

Ric. S. Ger.
 p. 992.

Sæcul. XIII. Friderico vires essent, & quanta inter
 A C. 1228. Christianos ferveret diffensio. Milt
 nihilominus vicissim alia dona, Nunciis
 suis accurate quærere ex Friderico iussis,
 quibus pactis, quibus conditionibus, &
 micitia inter ambos stabilienda esset.
*De urbe Hierosolyma, aiebat, arduum
 est negotium, non quod dives sit regio,
 sed quod apud Musulmannos maxima sit
 reverentia hujus urbis, & præcipue Tem-
 pli, quod tanquam Domum Dei ven-
 rantur; nam undique confluentes, tan-
 ta, quanta vos Christiani, devotione ad
 JESU Christi sepulchrum peregrinan-
 tur. Unde si Hierosolymam vobis tra-
 derem, Calisæ nostro baud immerito Re-
 ligionis meæ proditor audirem.*

Sup. Lib. Quod hic Templum Hierosolymita-
 LXXVIII. num dicitur, longe aliud est, quam an-
 §. 9. tiquum Templum, diu ante ab Impera-
Sup. Lib. tore Tito destructum, nempe Fanum Ma-
 LXIV. hometanorum, *Alaxa* appellatum, & in
 §. 67. pristino loco ædificatum, ex quo Calisæ
Jac. Vitri. Omar urbem Hierosolymam anno sex-
 Orien. c. 62. centesimo trigesimo sexto ceperat. Hoc
Sup. Lib. fanum, cum Godefridus Bullionius Hie-
 LXXIV. rosolymam in Christianorum potestatem
 §. 11. redegisset, in Ecclesiam mutatum est,
 atque eruditiores peregrinis fidem fa-
 ciebant, Templum hoc esse Salomonis,
 olim a Romanis devastatum, & a Chri-
 stianis reparatum. Erat ergo tunc Chri-
 stianis

stianis pro Ecclesia Patriarchali, sed Sæcul. XIII.
deinde Saladinus, expugnata Hierosoly- A. C. 1228.
ma, denuo Musulmannorum Fanum esse
iussit.

§. XLVII.

Fridericus cum Soldano paciscitur.

Postquam utriusque Principis Legati
secreto consilia contulissent, foederis av. Rain.
capita inter Imperatorem & Soldanum 1229. n. 15.
constituta, & conscripta sunt in hæc ver-
ba. *I. Soldanus Hierosolymam Impera-
tori, ejusque præfectis tradit, ut de ea
quocunque modo disponat, & communiat.
II. Imperator non occupabit, attingetve
GEMMELATA (quod est Templum
Domini*) vel quidquam eorum ambi-
tu complexuque contentum, nec pati de-
bet Francum (*) ullum, cujuscunque gen-
tis fuerit, ea invadere, sed, nullo prorsus
immutato, erunt in potestate ac manu
Saracenorum, qui ea ad orationes suas
fundendas, & Religionem suam prædi-
candam, obtinebunt. Claves portarum,
quæ in ambitu hujus loci sunt, apud eos,
qui ad Templum instruendum, & curan-
dum resident, remanebunt. III. Nulli
Saraceno vetitum erit, in Betlehem li-
bere peregrinationem obire. IV. Si
quis*

* Salomonis

(*) Franci, omnes Latini, in Oriente di-
cebantur.

Sæcul. XIII. *quis Francus firma fide in Majestatem*
A.C. 1228. *dignitatemque Templi Domini credide-*

rit, eoque ad preces fundendas ingredi
voluerit, admittendus est, secus ei in to-
to loci ambitu consistere non liceat. Ho-
jus Fidei nomine accipiebatur tanta re-
verentia, quanta animos Saracenorum
illuc intrantium afficiebat (). V. Si*
Hierosolymæ Saracenus Saraceno damnum
intulerit, apud Saracenos in Judicium
vocabitur. VI. Imperator nulli Fran-
corum, quisquis ille fuerit, nec Saraceno,
ad confligendum, bellumque movendum
contra Saracenos, per has inducias, quo-
cunque modo operam præstabit, nec
quemquam impellet, vel se ei conjunget.
VII. Imperator avocabit eos omnes, qui
cladem aliquam terris Soldani Melic-
Camel inferre meditabuntur, idque exer-
citui,

(*) Quin imo Patriarcha Hierosolymitanus, qui ad singula Capita hujus fœderis Adnotationes addidit, dicit: *Mirum est, quod etiam clausuram illam utriusque Templi nullus Christianorum ingredi permittatur, nisi credat, sicut Saraceni credunt. Id est, nisi Mahometanus fiat.*

Hodiedum, si quis Christianorum peregrinorum Fanum Turcarum furtim intret, & deprehendatur, nisi Religionem Mahometis amplectatur, interficitur. P. Boucher in suo Itiner.

citui, ac subditis suis tota sua potestate probibebit. VIII. Si qui Franci Pacta, quorum in his Induciis mentio fit, transgressi fuerint, Imperator Soldanum defendere tenebitur. IX. Tripolis, ejusque territorium, Caracum, Castelblancum, Tortosa, Margatum, & Antiochia, & quidquid in iis reperitur, tam in bello, quam in induciis, in suo statu conserventur, ac Imperator suos, exercitumque suum Dominis dictorum locorum opem ferre vetet. Præterea Bethlehem, atque Territorium inter hanc urbem, & Hierosolymam positum, Nazareth cum adjacente via, quæ Acriam ducit, Territorium Turonense, Sidon, seu Said, cum ditionibus suis, Christianis restituta. Induciæ istæ, ad annos decem initæ, die Dominica, decima octava mensis Februarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, utrinque jurejurando firmatæ sunt. At Giralduſ Patriarcha Hierosolymitanus, Templarii, & Hospitalarii, hujus negotii expertes esse maluerunt, quod illud rei Christianæ probrum & damnum inferre crederent, & Imperatorem pro excommunicato haberent. Quin etiam Patriarcha usque adeo exarsit, ut Ecclesias Hierosolymæ reconciliari, & in iis Officium divinum celebrari veruerit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1229.

Ro Frid. ap.
 Math. Par.
 1229.

ep. Patr. ap.
 Rain. n. 3.

Hist. Eccles. Tom. XIX. Fff Omni-

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.

Omnibus quoque sine discrimine peregrinis aditum in Ecclesias, & S. Sepulchrum denegavit, objiciens Papæ mandata, quæ necdum revocasset.

His non obstantibus, Imperator Sabato, die decima septima Martii, Hierosolymam intravit, & sequente die, Dominica tertia Quadragesimæ, Regio cultu insignis, ad Ecclesiam S. Sepulchri, Equitibus Teutonicis, Optimatibus magno numero, populoque, obsequii causa, comitantibus, processit. Cum vero nullus adesset Episcopus, qui ei coronam imponeret, eam suis manibus de Altari accepit. Tum assurgens Magister Ordinis Teutonici, longum sermonem, ad viros nobiles, populumque directum, primo lingua Germanica, & deinde Gallica, pronunciavit, Imperatoris laudes, additis contra viros Ecclesiasticos querelis, extollens. In fine Nobiles excitavit, ut de bonis suis non nihil ad civitatis munimenta construenda conferrent. Imperator autem viris secularibus curam commisit, ad S. Sepulchrum, & in aliis Ecclesiis a Fidelibus oblata colligendi, eidem operi impendenda. Sed altera die mane Hierosolyma excedens, Acriam celeriter reversus est, cum nulla certa & accurata mandata

data de muniendæ urbis ratione de-
 diffet. Illo biduo, quo Hierosolymæ Sæcul. XIII.
A. C. 1229.
 fuit, triumphantis more, datis variis E-
 pistolis, Gratias Deo agi iussit, pro sorte
 tam prospera profectio*n*i suæ concessa.
 In iis tumido verborum ornatu exitum
 fortunatum prædicat, cum Christianis
 viam ad sanctam civitatem iterum ape-
 ruisset. Duæ nobis ex his literis super-
 sunt, altera ad Gregorium Papam, quæ ap. Rain.
n. 22. ap.
Math. Par.
 sermonibus vagis absolvitur, altera ad
 Henricum Regem Angliæ, quæ rerum
 seriem clarius explicat. Estque conje-
 cturæ locus, Imperatorem similes Epi-
 stolas pluribus aliis Principibus scri-
 pisse.

§. XLVIII.

*Patriarchæ Hierosolymitani Epistolæ
 contra Fridericum.*

At Patriarcha Hierosolymitanus de ea-
 dem causa stilo longe diverso duas ap. Rain.
n. 3.
 dedit Epistolas, alteram ad Papam, alte-
 ram ad omnes Fideles directam. In E-
 pistola ad Papam exaggerat damnum om-
 ne, quod Christiani, ex quo Impera-
 tor advenerat, passi erant, & cuncta e-
 jus gesta in pejorem partem trahit.
 Crimini ei ducit, quod a Soldano dono
 accepisset mulieres, quæ Cæsare mensæ
 F f f 2 accum-

Sæcul. XIII. A. C. 1229. accumbente cantabant, saltabantque: quasi vero Religionem prodidisset, mores Saracenorum imitando. Conqueritur, quod agitatum de pace negotium arcanum, & omnibus impenetrabile esse voluisset, contempto Episcoporum, & Principum consilio. Tum exprobrat ei discessum intempestivum, rebus civitatis Hierosolymæ, præcipue de ordine & modo eam propugnaculis munien- di, necdum compositis. Hujus Epistolæ Patriarcha Fœderis Capita, ex Arabico in linguam Francorum versa, quæ paulo ante retuli, addidit, subjectis ad singula adnotationibus, ut errores ostenderet. Earum summa hæc est.

Carpit & damnat Patriarcha, quod, dum Soldanus Hierosolymam reddit, in illo primo Capite de Imperatore solo sermo sit, nulla mentione de jure Ecclesiæ, & Peregrinorum facta. Quod Soldano potestas non fuerit tradendi urbem Hierosolymam, læso jure Soldani Damasci, ejus nepote, qui eam possidebat, & nec in fœdus juravit, nec permoveri potuit, ut id ratum haberet. Quod abusus esset intolerabilis, Infidelibus tradere Dei Templum, antea Ecclesiam Patriarchalem, ita, ut Christianis ne quidem ambitum intrare liceat, nisi idem de hoc loco cum Saracenis

sen.

sentiant, dum contra Saracenis Bethle-^{Sæcul. XIII.}
 hemum profanare, nullo hominum di- A.C. 1229.
 scrimine præscripto, conceditur. *Præ-*
terea, ait, cum omnes vici, civitati ad-
iacentes, remaneant in potestate Infide-
lium, & ipsi longe majore numero, quam
ad sepulchrum Chvristiani, ad Templum
Domini venturi sint, quo pacto Chvri-
stiani per annos decem Dominium ur-
bis sibi vindicabunt, sine rixis, & vi-
ta periculo? Imperator se se obstrin-
git, quod nec suis, nec aliorum armis,
per has Inducias Saracenos laceffere ve-
lit. Quis hoc juramentum cum illo
juramento conciliet, quo se Ecclesiæ ob-
ligavit, se toto biennio in Terra san-
cta mille viris Equestribus stipendia, &
quinquaginta trirremium classi alimenta
suppeditaturum, quod votum, editum
& non impletum, eum excommunican-
di causa fuit? Promissum, Principibus
Antiochiæ, Tripolis, aliarumque ur-
bium contra Saracenos militantibus, o-
pem non ferendi, res est inter Chvri-
stianos nova, & inaudita; nam in hanc
usque diem, quoties in Regno Hieroso-
lymitano induciæ servabantur, ceteri
Chvristiani nihilominus urbes illas con-
tra aggressores tuebantur. Hæc sunt,
quæ Patriarcha contra transactionem
Imperatoris objecit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1229.

In exordio Epistolæ, ad omnes Fideles datæ, vituperat ignaviam Imperatoris, qui toto profectiois suæ tempore rem pessime gessisset, ingenti Belli sacri detrimento, ac Religionis contemptu. *Venit, inquit, ab Ecclesia excommunicatus, vix quadraginta viris Equestribus stipatus, & sine pecunia, sperans, detractis Syriæ spoliis egestatis suæ remedium se inventurum.* Tum, postquam transactionem cum Soldano, & ingressum ejus in urbem Hierosolymam retulit, subjungit. *Dominica quarta Quadragesimæ Acriam rediit, cumque propinquum esset maris trajicendi tempus, ac Peregrini omnes, postquam S. Sepulchrum invisissent, ad reditum necessaria comparassent, quia nullæ nobis erant cum Soldano Damasci induciæ, & deserta a militibus erat Regio, copias detinere, ex Eleemosynis, a Philippo Rege Franciæ fundatis, alendas, statueramus. Quo comperto, Imperator, missos ad nos Nuncios significare jussit; admodum mirari se, quod id consilii arripuissemus, cum ipse cum Soldano Ægypti inducias, & fœdera pepigisset. Respondimus; forsan Damasci Soldanum, nullo fœdere impeditum, nobis, invito etiam Soldano Ægypti, arma illaturum. Sed rursus Imperator;*
sine

Fridericus in
Palæstina.

sine suo consensu, cum ipse Rex Hierosolymæ esset, nemini licere, armatos, datis stipendiis, in Regno suo alere, eisque imperare. Tum Præsulibus, viris Religiosis, & omnibus Peregrinis, tunc Acriæ degentibus, extra urbem convocatis, orationem exorsus, contra nos amare conquestus est, adjectis calumniis. Mox ad Magistrum Templi conversus, fortis viri famæ detrabere conatus est, errata sua in alios rejicere cupiens. Tandem omnibus viris Equestribus exteris prohibuit, ne post illam diem elapsam in Palæstina persisterent, præcepitque Thomæ Comiti, quem Vicarium suum constituebat, ut pœna acerba corporis in eum, quem primo omnium in illa Regione deprehendisset, animadverteret, ceteris exemplo futurum.

Itaque, bujus Principis nequitia satis explorata, congregatis Episcopis, & Peregrinis, anathemate percussimus omnes illos, qui Imperatorem, Ecclesiam, Templarios, aliosve Viros Religiosos, vel Peregrinos persequentem, consilio, vel opera adjuvarent. Unde Imperator, multo magis accensus, omnes portus & aditus custodiri jussit, annonam ad nos deferri vetuit, vias omnes balistaribus

Sæcul. XIII.
A.C. 1229

Et satellitibus obsedit, qui Templarios, & Peregrinos insectarentur. In Dominica Palmarum quosdam Fratres Prædicatores, & Minores, qui ad oppida, ut ipsis præscriptum erat, Verbum Dei prædicaturi, exiverant, a militibus suis capi iussit, qui de Cathedris suis abstractos, terræ afflictos, ac per civitatis plateas raptatos, fustibus, pœna furibus debita, contuderunt. Exinde intelligens, se vi manifesta nihil agere, nobis pacis conditiones obtulit, quas cum non servaret, urbem Interdicto Ecclesiastico subiecimus. Tunc vero ex his terris celeriter se proripere statuit, & quasi res Palæstinæ in perpetuum perditas vellet, arma, quæ jam diu Acriviæ ad defendendam Regionem custodiebantur, navibus suis inferri curavit, quin & magnam eorum partem Soldano Ægypti, amico suo in paucis caro, transmisit. Tandem, navigio clam conscenso, in Festo SS. Jacobi & Philippi, die prima Maji, vale nemini dicto, vela fecit.

§. XLIX.

Friderici Reditus.

Sanut. p. 213
an. 1229.
p. 302.

Verumenimvero Fridericum Imperatorem urgebat nuncium, jam hyeme præ-

præterita acceptum, bellum sibi in Ita Sæcul. XIII.
 lia a Papa, fortuna favente, inferri; A. C. 1229.
 quamobrem transactionem cum Solda-
 no inire non distulerat. Quin etiam
 in Palæstina de vita periclitabatur Fri-
 dericus, si fides est Mathæo Paris, hujus
 ævi Scriptori, cum dicit, Templarios &
 Hospitalarios, auctoritate Pontificis,
 Imperatori publice irascentis & adver-
 santis, accensos, Soldano Ægypti per-
 scripsisse; Imperatorem animo consti-
 tuisse, ad Jordanem fluvium se confer-
 re, devotionis causa, pedibus iter factu-
 rum cum paucis sociis. Itaque haud
 difficilis negotii rem Soldano fore, in-
 cautum, & propemodum solum, ut vi-
 deretur, vel capere, vel opprimere.
 Soldanus, accepta epistola, cujus si-
 gnum cognoscebat, perfidiam Christia-
 norum, & inprimis virorum istorum
 Religiosorum, abominatus, suis ad con-
 siliium vocatis, epistolam remisit Im-
 peratori, quem jam ante amici mo-
 nuerant, ut a proditorum insidiis sibi ca-
 veret. Sed cum perpenderet, quanti
 viri accusarentur, fidem superabat su-
 spectum indicium. Dissimulavit vero,
 dum tempus vindictæ opportunum ad-
 esset. Inde Imperatoris odium in u-
 trumque Ordinem Militarem ortum.
 Ceterum illud silentio minime præteriri
 debet,

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

debet, tetri facinoris cogitati suspicio-
nem, plurimorum iudicio, magis in Tem-
plarios, quam Hospitalarios cecidisse.

§. L.

*Paſta, Raimundo Comiti Tolofano a
Rege conceſſa.*

*Sup. n. 32.
Guil. Pod.
Laur. c. 39.*

In Francia, hoc anno ineunte, Raimun-
dus, Comes Tolofanus, cum Eccleſia,
& Rege in fidem, & gratiam rediit.
Quibusdam conditionibus, ab Elia Gua-
rino, Grandisilvæ Abbate, propoſitis,
ad Colloquium conventum eſt Meldis,
quæ civitas tanquam Partium neutri
addicta habebatur, quod in ea Comes
Campaniæ rerum potiretur. Ille
Cardinalis Romanus, Papæ Legatus,
cum multis Præfulibus, ab ipſo vocatis,
ſe contulit. Archiepiſcopus quoque
Narbonenſis, cum ſuis Suffraganeis, &
Comes Raimundus, cum magno Tolo-
fanorum numero, adfuere. Poſtquam
multi dies deliberando conſumpti, Capi-
tibus pacis compoſitis, tota Congrega-
tio Pariſios divertit, ut, Rege præſente,
negotium perficeretur. Hæc Trans-
actio, in formam literarum Regiarum pa-
tentium redacta, ſummatim complecti-
tur ſequentia. Cum Raimundus iſſi-
qui

quibus debet, se tandem submiserit, & Sæcul. XIII.
 adfit, non Justitiam, sed Gratiam ab Ec. A. C. 1229.
 clesia, & a Rege petens, ac promittens,
 fidem se deinceps servaturum, Hæreti. *Catel. Comt.*
 cos ex omnibus suis ditionibus ejiciat, *de T. p. 332.*
 & in eos, qui latent, diligentissime in- *to. II. Cont.*
 quirat. Sicarios quoque expellat. *p. 415.*
 Ecclesiis omnia bona immobilia restituat,
 & eis Decimas ab omnibus, etiam de
 propriis suis bonis, persolvi curet. Pe-
 cuniæ summam, speciatim designatam,
 ad refarcienda bellorum præteritorum
 damna, refundat. Quatuor millia mar-
 carum argenti det, ad alendos per an-
 nos decem Tolosæ Magistros, videlicet
 duos Theologiæ Doctores, duos *Decre-*
tistas (id est Canonistas, qui Decretum
 Gratiani explicabant) Magistros Ar-
 tium Liberalium sex, & duos Gramma-
 ticos. Hæc fuit Universitatis Tolosanæ
 Institutio.

Raimundus, a Censuris absolutus,
 illico Crucem de manu S. Sedis Legati
 accipiat, intra biennium mare trajectu-
 rus, & contra Saracenos pugnaturus,
 annis quinque continuis ibi versetur,
 nam in hoc potissimum onere ejus Pœ-
 nitentia Canonica sita est. Joannam
 filiam suam unicam Regi tradet, alicui
 fratrum ejus nuptui dandam; qua con-
 ditio-

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.

ditione expleta, Rex Raimundo totam
Diocesim Tolosanam restituet, excepta
ditione Castrorum Præfecti, videlicet
Guidonis *de Levis*, Mareschalli Forxiensis,
ex quo Dynastæ Mirapicenses genus
duxerunt. Post Raimundi obitum, u-
niversus ejus Principatus ad Regis Fra-
trem redibit, qui defuncti filiam duxe-
rit, ejusque liberos. Si vero nulla re-
lictæ prole obierint, hæ Ditiones Regi,
ejusque Successoribus, accrescent. Hæ
sunt præcipuæ conditiones Transactionis,
datæ Parisiis, mense Aprili, anno
millesimo ducentesimo vigesimo octa-
vo, nempe vigesimo nono, ante Pascha,
quod hoc anno in diem decimam quin-
tam Aprilis incidebat. Nam etiam Gui-
lielmus de Podio Laurentii, illius ævi
Scriptor, hanc pacem sub finem anni,
qui in Francia cum Quadragesima absol-
vebatur, firmatam fuisse refert. Ita fi-
nis impositus est Albigenis bello, sub
Rege, quatuordecim annorum adole-
scente, qui a femina regebatur.

Chr. c. 40.

G. Pod.
Laur. c. 39.

Raimundus
Tolosanus.

Feria sexta, die decima tertia Aprili-
lis, Comes Raimundus, cum omnibus
in pœna sociis, preces recitante S. Sedis
Legato Romano, a Censuris Ecclesiasticis
solemni ritu absolutus est. Dignum
fuit commiseratione spectaculum, in-
tuet

tueri Principem, antea potentissimum, Sæcul. XIII.
 nudis pedibus, sola interula & caligis A.C. 1229.
 tectum, ad Altare deduci. Huic recon-
 ciliationi præter Cardinalem Romanum *Ital. Sacra*
 interfuit Otto Episcopus Portuensis, *to. I. p. 152.*
 S. Sedis in Anglia Legatus, cujus in illa
 Ecclesia Antecessor Conradus, die ulti-
 ma mensis Septembris, anno millesimo
 ducentesimo vigesimo septimo, rebus hu-
 manis valedixerat.

Eodem, quo ista agebantur, tempo- *to. II. Conc.*
 re, nempe mense Aprili, ante Pascha, *p. 423.*
 jussu Regis promulgata est Constitutio,
 ad omnes subditos in Diœcesibus Nar-
 bonensi, Cadurcensi, Rutenensi, Agin-
 nensi, Arelatensi, & Nemaufensi existen-
 tes directa, quæ decem complectitur
 Statuta, ad stabiliendam, ut verbis Præ-
 fationis utar, Ecclesiæ Gallicanæ liber-
 tatem. Hic primo in Historia occur- *Marca III.*
 runt voces: Libertas Ecclesiæ Gallica- *concord. c. 1.*
 næ. Ergo præcipitur, ut Hæretici, ab
 Episcopo Diœcesis, vel ab alio Viro Ec-
 clesiastico, potestatem habente, damnati
 sine mora debita pœna afficiantur. Re-
 ceptatores & Fautores Hæreticorum in-
 famia notentur, & bonis suis priventur.
 Oppidorum Domini & Pratores Regii
 Hæreticos accurate exquirere, & Judi-
 cibus Ecclesiasticis exhibere teneantur.
 Qui-

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

Quicumque Hæreticum ceperit, si damnatus deinde fuerit, duas marcas argenti, pii operis mercedem, accipiat. Qui toto anno excommunicationis Censura vinctus perseveraverit, privatione omnium bonorum suorum ad reditum in sinum Ecclesiæ compellatur. Ecclesiæ Decimæ, jam diu denegatæ, restituantur.

§. LI.

Universitas Parisiensis ex urbe excedit.

Eodem anno millesimo ducentesimo vigesimo Parisiis rixæ, inter Scholasticos & cives exortæ, funestum non nullis exitum habuerunt. Cum Feria secunda & tertia ante diem cinerum aliquot Studiosi Clerici, ut aerem liberius haurirent, & animum recrearent, ad S. Marcelli suburbium divertissent, tunc ab urbe separatum, & postquam aliquamdiu lusissent, popinam intrarunt, ubi eis vinum ad palatum obtigit. Sed ubi symbola persolvenda fuit, de pretio cum caupone iurgari cœperunt, brevique a verbis ventum est ad verbera, quippe utrinque aliquibus impactæ alapæ, aliis avulsi a capite crines. Concurrunt ex illa regione vicini, cauponem eripiunt e

mani

manibus Clericorum, eosque largiter Sæcul. XIII.
 dedolatos, quin etiam aliquos, ceteris A.C. 1229.
 pugnaciores, vulneratos, in fugam ver-
 tunt. Hi in urbem regressi vestibus la-
 ceratis sodales suos ad vindictam exci-
 tarunt. Ergo altera die magno nume-
 ro exeunt, gladiis & fustibus armati.
 Tum, vi adhibita, in quamdam popinam
 irrumpentes, vasa omnia confringunt,
 vinum in pavementum effundunt, ac
 deinde, in plateas egressi, in quosvis ob-
 vios, viros mulieresque, irruunt, mul-
 tosque vulneribus afficiunt.

Quamobrem, Capituli S. Marcelli
 Decano ad Romanum, S. Sedis Legatum,
 & Episcopum Parisiensem, querelas de-
 ferente, illi Reginam, tunc Regno mo-
 derantem, adeunt, rogantes, ut Schola-
 sticorum insolentiam reprimeret. Quæ
 summo Parisiensis urbis Prætori, & qui-
 busdam ex Ministris suis præcepit; irent
 celeriter, & turbarum auctores, nullo
 personarum discrimine, castigarent. Illi
 egressi, extra muros civitatis Clericos
 magno numero colludentes conspexe-
 runt, sed innoxios, qui rixantibus aliis
 ne quidem adfuerant; nam rei erant
 Picardi (ita jam illo ævo populi, Flan-
 driæ propinqui, appellabantur) nihilo-
 minus Prætoris satellites incautos & in-
 ermes

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.
ermes invadunt, quosdam fauciant, alios
spoliant, quin etiam aliquos occidunt.
Ceteri in fugam effusi tum in vineis,
tum in lapidicinis delituerunt. Inter
necatos duo Clerici inventi sunt, alter
ex Flandria, alter ex Normannia, dum
viverent, opibus & auctoritate præci-
pui. Tunc vero Universitatis Profes-
siones, ab omnibus lectionibus & disputa-
tionibus cessantes, cunctique collecti,
Reginæ & Legati conspectum subeunt,
petentes Justitiam; nec enim rationi
esse consentaneum, quod culpa quorū-
dam Studiosorum miserabilium toti uni-
versitati noceret, sed satis esse, si rei sol-
plecterentur.

Cum vero nec Regina, nec Legatus
Apostolicus, nec Episcopus Parisiensis
Universitati satisfacissent, Magistri om-
nes Scholasticique ita sparsi sunt in di-
versa, ut nec unus quidem magni nomi-
nis Doctor Parisiis remanserit. Pars eo-
rum major Andegavum migravit, aliqui
urbem Aurelianum adierunt; atque
hæc utriusque Universitatis origo fuisse
creditur. Alii Remos, multi Tolosam
petierunt. Non nulli in Hispaniam, in
Italiam, aliasque Provincias externas de-
lati sunt. Non pauci in Angliam trans-
fretarunt, Rege Henrico III. eos invi-

Du Boulay.
to. 3. p. 134.

tante, & urbem, quamcumque elegerent, offerente, plenam quoque libertatem & securitatem pollicente. Ipsi-
 Epistola die decima sexta Julii, anno Regni ejus decimo tertio, nempe anno a partu Virginis millesimo ducentesimo vigesimo nono, data est.

Sæcul. XIII.
 A.C. 1229.

§. LII.

Richardus Archiepiscopus Cantuariensis.

Inter hæc tempus a Pontifice, ad iudicandum de causa Gualterii monachi, Archiepiscopi Cantuariensis electi, præfixum appropinquabat, videlicet dies Jovis, prima mensis Martii, hoc anno. Regis Angliæ Legati, Alexander Stavenessensis, Episcopus Cestriensis, Henricus Steinfeldus, Episcopus Rosensis, & Magister Joannes Hutonius, Romæ huic negotio vacantes, continuo Papæ & Cardinalium aures fatigabant; sed, cum more Romano difficiles haberent, veriti, ne nihil agerent (nempe impetrare conabantur, ut electio nullius roboris promulgaretur) collatis consiliis, nomine Regis Pontifici promiserunt, Angliam & Hiberniam Decimas de omnibus rebus mobilibus daturam, belli contra Imper-

Math. Par.
 p. 299.

Hist. Eccles. Tom. XIX. G g g ra-

Sæcul. XIII
 A.C. 1229. ratorem gerendi subsidium, si modo Re-
 gis, ipsorum Domini, desiderio rem non
 adeo grandem indulgeret. Papa, cui
 tunc nihil magis in votis erat, quam
 belli, quod susceperat, exitus fortuna-
 tus, flecti se passus, in Consistorio sen-
 tentiam pronunciavit hujusmodi; se,
 utraque litigantium parte audita, Ar-
 chiepiscopi electi examen Episcopo Al-
 banensi, duobusque aliis Cardinalibus
 commisisse. *Hi, ait, electum interro-
 garunt, de descensu Jesu Christi ad in-
 feros. An in carne vel sine carne descen-
 dit? De consecratione ejus Corporis
 in Altari. Quomodo Rachel potuerit
 plorare filios suos, ipsa diu ante mortuam.
 De sententia excommunicationis, si con-
 tra formam Juris feratur. De Matri-
 monio, si una pars contrahentium in In-
 fidelitate mortua sit. Ad quæ capita om-
 nia ipse male respondit. Quare hunc
 virum Sedi amplissimæ imparem existi-
 mantes, electionem, & suffragia in eum
 collata, nulla declaravimus, Ecclesia
 Cantuariensi providendi cura nobis ipsis
 reservata. Hæc Reservatio omnino no-
 tatu digna est.*

Tunc vero Legati Regis, & Episco-
 porum Suffraganeorum Ecclesiæ Can-
 tuariensis, mandatis Papæ exhibitis, in
 Sedem Cantuariensem Archiepiscopum
 eyehen-

vehendum proposuerunt Richardum, Sæcul. XIII.
Ecclesiæ Lincolnienſis Cancellarium, A. C. 1229.
 affirmantes, virum esse præſtanti ſcien-
 tia, & optimis moribus præditum, at-
 que ad obſequia eximia, tam Romanæ
 Eccleſiæ, quam Regno Angliæ præſtan-
 da, aptiſſimum. Itaque obtinuerunt,
 ut eis hunc virum Papa & Cardinales
 Archiepiſcopum concederent, & Papa,
 Bulla ad Episcopos illius Provinciæ di-
 recta, præcepit, ut Metropolitanum,
 quem ipsis daret, reciperent, non ſecus,
 ac ſi eum motu proprio elegiſſet. Ri-
 chardus autem, in Feſto Sanctæ Trini- *Matth. Par.*
 tatis, die decima Junii, eodem anno mil- *p. 306.*
 leſimo ducentefimo vigefimo nono, or-
 dinatus, non ultra biennium in Cathe-
 dra Cantuarienſi ſedit.

§. LIII.

Decimæ in Anglia colliguntur.

Gregorius Pontifex ad colligendas De- *id. p. 304.*
 cimæ, a Legatis Regis Angliæ pro-
 miſſas, miſit cum poteſtate Nuncii Apo-
 ſtolici Stephanum, Capellanum ſuum,
 qui poſtquam itineris ſui cauſam expo-
 ſuiſſet, Rex Episcopos, Abbates, Prio-
 res, Parochos, Templarios, Hospitala-
 rios, Comites, & Barones convocavit.
 Conventus Weſtmonaſterii, Dominica

G g g 2 ſecun-

Sæcul XIII.
A C. 1229.

secunda post Pascha, die vigesima nona Aprilis, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, celebratus est, in quo Stephanus, Nuncius Papæ, Epistolam publice recitavit; petebat vero ab omnibus Clericis, Laicisque omnium rerum mobilium in Anglia, Hibernia, & Wallia Decimas, quibus adjutus bellum, contra Fridericum Imperatorem a se susceptum, prosequi valeret. *Ego solus, inquit in sua Epistola Gregorius, hoc peccatus iniquo Principi objeci, amore Ecclesie universalis, quam Fridericus excommunicatus, & jam diu rebellis, omnibus viribus conatur evertere, quod ex multis signis evidenter patet.* Sacrae Sedis opibus ad hunc Principem debellandum non sufficientibus, omnium filiorum Ecclesie auxilium esse flagitare necessitas me cogit; si enim Ecclesia Romana succumbat, membris omnibus cum suo Capite pereundum est. Hic deprehenditur sensus ille æquivocus, illo ævo frequentissime adhibitus, quo Ecclesia & Respublica civilis, vel Papæ vel Episcopis aliis subjecta, confundebantur. Namque Imperator potestatem Ecclesie spirituales non impugnabat.

Nuncius Bullam, & postulationis æquitatem addito sermone confirmabat
præ

præsentibus persuadere conatus, honori suo, & emolumento consulturos, si, quod Pontifex petebat, concederent. Omnium animis suspensis, & sperantibus, Regem causam communem tuiturum, ille vocem tenuit, cum, id a Legatis suis promissum fuisse, inficiari non posset. At Optimates, omnesque Laici præfracte negabant, has Decimas se daturus, ne agros suos, & bona temporalia Ecclesiæ Romanæ vectigalia efficerent. Contra Episcopi, & omnes Clerici, postquam tres quatuorve dies deliberando consumsissent, & omnia atria murmuratione implessent, tandem Decimarum oneri colla subjecerunt, excommunicationis, vel Interdicti vincula timentes, si mandatis Papæ obsequi detrectarent. Ergo, repugnante licet animo, consenserunt, atque pecuniæ summam tolerabilem obtulerunt; sed vicit Nuncii industria, qui Stephano Segravio, a cujus ore & consilio tunc Rex pendebat, multæ auri impendio sibi conciliato, obtinuit, ut Decima tota persolvenda injungeretur. Nuncius deinde Præsulibus exhibuit Decimam colligendi mandata, sibi a Pontifice commissa, secundum novam oneris partitionem statuendam, nullis debitis, vel sumtibus deductis. Eidem Legato potestas erat refractarios

Sæcul. XIII.

A.C. 1229.

G g g 3

ctarios

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.

ctarios excommunicandi, eorumque Ecclesias Interdicto ligandi. Quia autem Summo Pontifici præsentis auxilio opus erat, Præsules ad pecuniam sibi statim persolvendam compulsi, sive eam mutuum acciperent, sive alia via pararent, salvo jure eam deinde a privatis exigendi. In his decimis etiam messis illius anni, in agris necdum falce prostrata, comprehendebatur, ac tanto eæ rigore colligebantur, ut Præsules pretiosas Reliquiarum arculas, calices, aliaque Vasa sacra vendere, vel pignori dare coacti fuerint. Nuncium comitabantur usurarii, qui, mercatorum specie, pecunias illis offerebant, qui maxime indigebant; verum, cum usuras exigent enormes, boni omnes improbam avaritiam execrabantur. Exinde nonnulli usurariorum istorum transalpino- rum in Anglia sedem sibi elegerunt. Illud denique Anglis quaecunque solatium ferebat, quod socios malorum haberent, & alia quoque Regna ab ejusmodi Decimis non essent immunia.

ep. ap. Rain.
1229. n. 33. 34

Quandoquidem Gregorius ubique terrarum auxilia, in hoc bello sibi præstanda, efflagitabat, in Italia videlicet, in Hispania, in Lusitania, in Francia, in Germania, quo Ottonem Cardinalem

mise.

miserat, additis mandatis, ut inde in Da- Sæcul. XIII.
 niam transfret. Anno autem superiore A.C. 1229.
 Papa in hac causa Regi Sueciæ scripse- Godef. an.
 rat, quin etiam, tanquam obsequium, vi 1230. Rain.
 juramenti editi sibi debitum, ab Episcopis 1228. n. 19.
 petebat, ut ipsi Episcopi venirent, & pro
 Ecclesiæ Capite militarent; namque
 Archiepiscopo Lugdunensi vehementis-
 sime exprobravit, quod vocatus præsto
 non fuisset.

§. LIV.

*Pontifex cupit bellum humanius
geri.*

Joannes Briennius, ceterique exercitus
 Pontificii Duces, bellum gerebant il-
 lius ætatis more, nempe crudeli, cum
 hostem, nulla urgente necessitate, inter-
 ficerent, & sæpe captos membris trun-
 carent. Indoluit Papa, atque Cardina-
 li Pelagio, Episcopo Albanensi, suo apud
 exercitum Legato, scripsit in hunc mo-
 dum: *Magnus Dominus ita libertatem* 3. ep. 14. op.
Ecclesiæ suæ conservari vult, ut nec bu- Rain. n. 44.
militas defensionem necessariam excludat,
nec defensio humilitatis gradus excedat.
Ex quo eruitur, quod, etsi libertatis
Ecclesiasticæ Defensor aliquando, licet
raro, contra Tyrannos, & persecutores
Ecclesiæ, invitus auxilio gladii materia-

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.

*lis utatur, consueta humilitatis non im-
memor, non tamen eo sic utatur, ut san-
guinem sitiatur, vel desideret, cum aliens
jactura ditari, sed potius, ut errantes
ad viam veritatis revocet, & revocatos
omni mansuetudine in sua libertate con-
servet. Quis patienter ferat, ab exer-
citu Jesu Christi hominem, cujus vita
conservari posset, occidi, aut truncari,
sicque ipsius Creatoris imaginem detur-
pari? prout his diebus non sine cordis a-
maritudine didicimus accidisse? Eja fra-
ter! non expedit, ut nos, qui Fideles
& filios errantes ad ubera matris Eccle-
siae advocamus, effuso sanguine gauden-
tes, injuriis eos provocemus. Absit, ut
filios, quos sub alis suis fovere tenetur
Romana Ecclesia, & reos sanguinis gla-
dio justitiae solet eripere, eos occidat, aut
mutilet! Quapropter Fraternitatem
tuam rogandam duximus, addito Apo-
stolico præcepto; illos, qui in posterum
in manus exercitus Jesu Christi incide-
rint, caute custodi, nullo alio malo illato,
sicque magis liberos se esse lætentur in
ista captivitate, quam antea in noxia
libertatis umbra fuerint. Ducibus, qui
eopiis præsumunt, denunciabis, ne quis in
adversarium inermem, vel captum, sævi-
re præsumat, nisi gratiam nostram amis-
sam velit. Eos præterea pœna pecunia-
rio,*

ria, ut visum fuerit, coercebis. Sic enim ab oblocutorum maledicentia famam Ecclesiae, nostramque illasam servabimus. Hæc Epistola die decima nona Maji, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono data est. Ceterum, an hæc moderatio, fervente bello, facile locum habere possit, virorum militarium judicio relinquo.

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

§. LV.

Joannes Briennius Constantinopolim vocatur.

Pontificis copiæ urbes haud parvo sane numero in Campania, in Apulia, ac in omnibus Italiae provinciis, quæ parebant Regi Siciliae, subegerant. At ubi nuncium vulgatum est, Fridericum Imperatorem, ex Terra sancta revectum, Brundisium appulisse, ejus militibus rediit animus, ac ille brevi temporis spatio, quæcunque amiserat, recepit. Quin etiam hostilis exercitus Dux, Joannes Briennius, relicta Italia, in Franciam rediit, necessaria ad iter, Constantinopolim suscipiendum, comparaturus. Quippe Roberto Cortenacensi, anno superiore millesimo ducentesimo vigesimo octavo fati functo, relicto successore fratre suo Balduino, novem decemve anno-

Ric. S. Ger.
1228. & seq.

G g g 5 rum

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.
rum puero, Francorum Principibus in Romania visum fuerat, nihil salubrius in rem suam se facturos, quam si Joannem Briennium, Regno suo Hierosolymitano spoliatum, advocarent. Tum inter ipsos convenit, filiam unicam, quæ Joanni superesset, Balduino juveni, ubi ætas permitteret, nuptui tradendam esse. Joannem Regem coronandum esse Imperatorem, cujus Dignitatis titulo & auctoritate, quoad vita frueretur, gauderet. Balduinum vero, postquam ad annum ætatis vigesimum pervenisset, Regno Niceno, omnibusque Ditionibus, quibus Latini in Asia potirentur, esse præficiendum. Hæc Constitutio a Summo Pontifice die nona Aprilis anno millesimo ducentesimo vigesimo nono confirmata est.

3. ep. 15.
Rain. n. 47.

§. LVI.

Recentissima contra Imperatorem Excommunicationis sententia.

Hucusque Gregorio Papæ satis fuerat, Fridericum a Communione Fidelium remove, sed minas, fore, ut acerbiora de eo decerneret, opere non implebat. Hoc autem anno, postquam Excommunicationis sententiam iterum confirmasset, addidit sequentem clausulam:

ap. Rain.
n. 37.

fulam : *Eo quod Fridericus, contempta* Sæcul. XIII.
excommunicatione, Sacrae Sedis manda- A.C. 1229.
tis non obtemperaverit, omnes, qui ei
juramento Fidelitatis adstricti sunt, spe-
ciatim autem subditos Regni Siciliae, ab
hoc juramento denunciavimus, & denun-
ciamus absolutos; quia Deo, & Sanctis
ejus, adversanti, atque præcepta illius
calcanti, nemo fidem servare tenetur.
 Doctrina, & principium sane novum,
 quod rebellibus subditis auctoritatem
 tribuere videtur! Papa præterea ana-
 thematizat Rainaldum, Ducem Spoleti,
 Bertoldum ejus Fratrem, pluresque alios,
 quos inter Theodorus Comnenus, Epi-
 ri Princeps, occurrit. Acta hujus Cen-
 suræ die vigesima Augusti, anno mille-
 simo ducentesimo vigesimo nono, data
 sunt. Ceterum Theodorus Comnenus *R. S. Ger.*
 Fridericum Imperatorem, misso ad eum, *p. 1003.*
 autumno hujus anni ineunte, Legato
 cum copiis & pretiosis muneribus, ami-
 cum sibi conciliare cupiebat.

§. LVII.

Concilium Tolosanum.

Ut implerentur conditiones Pacis, Pa- *Guil. de Pod.*
 risiis cum Comite Raimundo initæ, *Laur. c. 40.*
 Civitas Tolosana Ecclesiæ reconciliata *to. II. Conc.*
 fuit, mense Julio ejusdem anni per Ma- *p. 425.*
 gistrum

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

gistrum Petrum de Collomedio, gerentem vices Legati Cardinalis Romani, qui deinde ipse adveniens, ibidem mense Septembri Concilium celebravit. Aderant Archiepiscopi tres, Narbonensis, Burdegalensis, Ausciensis, seu Auxitanensis cum aliis Præsulibus. Raimundus quoque, Comes Tolosanus, venerat, aliique Optimates; Prætor Carcassonæ, & duo, alter in civitate, alter in arce, Tolosani Consules, qui nomine totius Reipublicæ jurejurando, pacem esse servandam, promiserunt. In hoc Concilio quadraginta quinque Canones promulgati sunt, quos S. Sedis Legatus ex consilio Episcoporum, Præsulum, Baronum, & Equitum, se concinnasse affirmat. Cuncti vero ad extinguendam Hæresim, ac pacem, & securitatem publicam stabiliendam tendunt, quorum hæc est summa.

Episcopi in singulis Parochiis Sacerdotem unum, & duos, vel tres famæ integræ Laicos Sacramento constringant, qui diligenter & frequenter Hæreticos inquirent, domos singulas, cameras subterraneas, ac omnes latebras scrutentur, & si quos deprehenderit, id, adhibita cautela, ne fugere possint, Episcopo, Dominis locorum, vel eorumdem Prætoribus, abjecta omni mora, indicent.

Domi

6. I.

Domini cujuscunque Territorii solícite
 investigent Hæreticos in pagis, in do-
 mibus, in silvis, si vero eorum aliquis
 convictus fuerit, quod, accepta pecunia,
 vel ob aliam quamcunque causam, Hæ-
 reticum in terra sua commorari passus
 sit, eam amittat, ac de ejus persona
 Princeps, cui subest, quod æquum erit,
 decernat. Judex in eodem loco semper
 residens, nisi contra Hæreticos valde so-
 licitus inveniatur, & diligens, bona sua
 amittat, & exinde nec ibi, nec alibi ad
 obeundum Judicis officium admittatur.
 Domus, in qua inventus fuerit Hæreti-
 cus, diruatur, & fundus ad census æra-
 rii publici trahatur. Ne autem cuiquam
 Hæretica pravitas per calumniam affin-
 gatur, nemo ut Hæreticus puniatur, ni-
 si ab Episcopo loci, vel alio viro Eccle-
 siastico, hanc potestatem habente, da-
 mnatus fuerit. Cuilibet liceat Hæreti-
 cum perquirere, & capere in Territorio
 alieno, ac Judices locorum auxilium
 præstare teneantur.

Hæretici, qui, errore sponte dimisso,
 ad Catholicam Fidem reversi fuerint,
 non remaneant in civitate, in qua con-
 versati fuerant, si illa de Hæresi suspecta
 habeatur, & in detestationem veteris
 erroris duas Cruces portent, assutas, &
 spectabiles, alterius coloris, quam sint
 vestes

Sæcul. XIII.

A.C. 1229.

c. 3.

c. 7.

c. 6.

c. 8.

c. 10.

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

**Canones
Concilii To-
losani.**

c. 13.

c. 14.

vestes eorum, unam a dextris, & alteram a sinistris. Ad officia autem publica non adhibeantur, nisi vel a Papa, vel ab ejus Legato in integrum fuerint restituti. Hæretici autem, qui timore mortis, vel alia quacunque ex causa, dummodo non sponte, ad Catholicam unitatem redierint, ab Episcopo loci ad agenda pœnitentiam includantur, ea cautela, ut ipsis facultas alios corrumpendi adimatur. Hujusmodi inclusis in necessariis provideatur ab illis, qui eorum bona tenent, & si bona non habeant, Episcopus provideat. In omnibus parochiis singulorum incolarum nomina conscribantur. Universi, tam mares, quam feminæ, masculi anno ætatis decimo quarto, feminæ anno duodecimo, abjurent omnem Hæresim, promittant se Fidem Catholicam professuros, & Hæreticos pro viribus persecuturos ac prodituros. Hujusmodi autem Juramentum singulis biennis renovetur; qui vero illud non præstiterit, de Hæresi suspectus habeatur.

Laicis Libros veteris Testamenti, aut novi habere non liceat, nisi forte Psalterium, Breviarium divini Officii, aut Horas Beatæ Virginis. Sed ne memoratos libros in linguam vulgarem

rem translatos habeant, arctissime in-

Sæcul. XIII.

A. C. 1229.

Non memini, me antehac hujusmodi prohibitionem invenisse; quæ tamen faventem explicationem admittit, si dicamus, tunc temporis, & in illa provincia hominum ingenia ad errorem fuisse usque adeo prona, ut modus disputationibus haud facilius poni potuerit, quam auferendo Fidelibus Libros sacros, quibus Hæretici abutebantur. Ceterum

Sup. Lib.

LXXV.

§. 23.

c. 12.

ex de Hæret.

notavimus, quod annis ante hoc Concilium triginta Innocentius III. Papa ad huc docuerit, desiderium audiendi sacras Scripturas magis laude quam reprehensione dignum esse, & illud solum esse inquirendum, quis Versionis in linguam vulgarem auctor esset, & quamente eam in lucem protulisset. Præterea in Concilio Tolosano hæc statuuntur. Quoscunque Hæresis infames, vel suspectos effecerit, officio Medici non fungantur, sed postquam aliquem infirmum de manu Presbyteri sui sacram Communionem recepisse contigerit, adhibeatur ei accurata custodia usque dum obeat, vel convalescat, ne Hæreticus, vel suspectus ad eum accedere possit. Hic addunt Episcopi; *cum ex hujusmodi colloquio nefanda, & enormia pluries*

c. 15.

Sæcul. XIII. *pluries contigisse intellexerimus.* Te-
 A.C. 1229. stamenta fiant coram proprio Presby-
 tero, vel ipso absente, coram alio viro

c. 16.

Ecclesiastico, secus nullius vigoris, ac

c. 25.

momenti sint. Omnibus Dominicis, &
 Festis denunciatis cuncti Patresfamilias
 teneantur ad Ecclesiam se conferre, ibi-

c. 19. *Et c.*

dem ex integro divinum Officium, &
 Prædicationem audituri. Quod si ab-
 sentes fuerint sine causa, duodecim De-
 narios Turonenses solvere teneantur,
 quorum media pars villæ Domino, altera
 Ecclesiæ tribuatur.

Multi hujus Concilii Canones de Ju-
 re, & immunitate Ecclesiarum, ac Cle-
 ricorum, quam Hæretici vel læserant,
 vel sustulerant, decernunt. Alii res ad

c. 28. *Et c.*

pacem, & Reipublicæ quietem specta-
 tes componunt, & complura remedia ad

c. 43.

eam conservandam præscribunt. Judi-
 cibus præcipitur, ne quidquam me-
 cedis, quocunque prætextu, ne qui-
 dem consuetudinis, a litigantibus exi-
 gant, sed gratis Justitiam omnibus ex-
 hibeant.

§. LVIII.

Concilium Tarroconense.

Anno eodem, die vigesima nona Aprilis,
 Tarraconæ, in Arragonia, Con-
 cilium

cilium celebratum est, cui præfuit Joan- Sæcul. XIII.
 nes, Episcopus Sabinensis, Sacræ Sedis A.C. 1229.
 Legatus. Is nomine Familiæ suæ dice-
 batur Halegrinus, Abbatisvillæ natus, ^{to. II. Conc.}
 olim Monachus Cluniacensis, exinde ^{p. 437.}
 Archiepiscopus Vesuntinus. Cum Pa- ^{R. 1229. n. 57}
 triarchatum Constantinopolitanum re-
 cipere recusasset, a Gregorio IX. Papa
 Cardinalis Episcopus Sabinensis creatus,
 & ab eodem Legatus in Hispaniam, ad
 judicandum de causa matrimonii Jaco-
 bi primi, missus est. Convocavit ergo
 Synodum, cui Archiepiscopi Toletanus,
 & Tarraconensis, ac Episcopi ex Regnis
 Castiliæ, & Arragoniæ novem interfue-
 runt (*). Lata est sententia, Matrimo-
 nium Regis nullius esse valoris, quod
 sine

(*) Joannes hic, olim Monachus Clunia-
 censis, Episcopus Sabinensis, Sacræ Sedis Le-
 gatus, Archiepiscopus Vesuntinus, ad Sedem
 Patriarchalem Constantinopolitanam vocatus,
 & Cardinalis creatus, testis est, omni exceptio-
 ne major, Ordinem Cluniacensem, prout Fleu-
 rio loqui placuit, his Sæculis neutiquam ita te-
 nebris fuisse involutum, ut in eo viri, summis in
 Ecclesiastica Hierarchia gradibus digni, non in-
 venirentur.

Hist. Eccles. Tom. XIX.

H h h

Sæcul. XIII.
A.C. 1229.
 sine dispensatione inter sanguine propinquos fuisset contractum. Et Rex Jacobus quidem acquiescebat; sed tamen in Concilio exposuit, quod nobilissimam Principem in facie Ecclesiæ duxisset, credens matrimonium esse legitimum, & filium inde suscepisset, nomine Alphonsum, quem non modo successorem suum in Regno designasset, sed etiam ei a Vasallis juramentum Fidei præstari iussisset. Quare publice edixit, se Acta illa confirmare, & si opus esset, se filium suum auctoritate Regia legitimum efficere. Hæc confirmatio Actis Concilii inserta est; cumque, elapsis exinde aliquot annis, non nemo Natales Alphonsi Principis impugnaret, Gregorius Papa, Legati sui sententia confirmata, eum, spectata parentum bona fide, filium legitimum declaravit.

§. LIX.

Inter Papam, & Imperatorem de Pace agitur.

Ric. S. Ger.
p. 1001.
 Dum Fridericus in Apulia commoratur, exercitum contrahens, ut Pontificis copias ingruentes repelleret, nihilominus ad eum Archiepiscopos Regiensem, & Bariensem, ac Magistrum Equitum Teutonicorum misit, qui de Pacis

Pacis conditionibus agerent. Ubi Ca-
 tadium pervenerunt, urbem a Papæ mi-
 litibus obsessam, acceptis ab Episcopo
 Albanensi, & a Cardinale S. Praxedis li-
 teris, Curiam Romanam petierunt; un-
 de eis, re infecta, redeundum fuit. At-
 tamen, mense Decembri, Imperatori,
 Aquini versanti, Magister Equitum Teu-
 tonicorum gratum nuncium de successu
 Transactionis cum Papa attulit, tumque
 Thomæ Capuano, Cardinali S. Sabinæ,
 obvium se inferens, eum cum conscri-
 ptis fœderis conditionibus ad Imperato-
 rem deduxit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1229.

p. 1004.

Imperator vero complures Principes
 ex Germania advocavit, arbitros causæ
 inter se & Papam futuros, videlicet, Ber-
 toldum Patriarcham Aquilejensem, E-
 berhardum Archiepiscopum Salisbur-
 gensem, Sigefridum Episcopum Ratis-
 bonensem, Leopoldum Austriæ Ducem,
 & Ducem Dalmatiæ & Istriæ. Plures
 alii pacis conciliatores tam e Curia Ro-
 mana, quam ex Italia advenerant. Sed
 ea ante annum sequentem reduci non
 potuit. Hic absolvitur Chronicum Con-
 radi, Abbatis Urspergensis, Ordinis Præ-
 monstratensis, in Diœcesi Augustana, an-
 no millesimo ducentesimo decimo quin-
 to, electi.

Abh. Ursperg.
 in fin. Stero.
 an. 1230.

H h h 2 §. LX.

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

§. LX.

Romani Papam revocant.

Gest. Greg.
ap. Rain. n. 6

Ric S. Ger.
p. 1005.

Hujus anni hyeme Tiberis, imbrium copia inflatus, & extra ripas se se ejiciens, prima die Februarii, anno millesimo ducentesimo trigesimo, in domos urbis usque ad Basilicam SS. Petri & Pauli influxit. Non nulli homines, & jumenta perierunt, commeatus, vinum, supellex corrupta, quin etiam ad malorum cumulum fluvius vim ingentem immanium serpentium intra urbem evomit, qui deinde computrescentes, infecto aere, funestam luem intulerunt. His prodigiis perterriti Romani, & timentes, ne omnes occumberent, ad Pontificis pedes confugerunt, missisque communi consensu Perusum Legatis, ut in urbem rediret, suppliciter petierunt. Annuit Gregorius, & prima Hebdomada Quadragesimæ, mense Februario exeunte, maxima exultantis populi lætitia, urbem intravit, solemnī pompa exceptus. Mox ut inedia attritis succurreret, frumentum ex vicinis partibus comportari jussit.

§. XLI.

S. Francisci Translatio.

Mense Majo hujus anni millesimi ducento-

centesimi trigesimi, Fratibus Minori-
 bus Assisi Capitulum suum generale
 celebrantibus, peracta corporis S. Fran-
 cisci translatio, cujus solemnitatem ut
 augetet Papa, Indulgentiam illis, qui
 publice procederent, & novæ Ecclesiæ,
 quo deferendæ erant sacræ Reliquiæ,
 privilegia concessit. Ergo die vigesima
 quinta Maji, in Vigilia Pentecostes, cor-
 pus Viri sancti ex Ecclesia S. Georgii,
 ubi statim depositum fuerat, expromi-
 tur, & in Ecclesiam novam, a S. Fran-
 cisci nomine dictam, pulcherrimo pro-
 cedentium ordine, deportatur. Eccle-
 sia S. Georgii S. Claræ, ejusque sacris
 Virginibus tradita; tum ut intra mœ-
 nia tuto degerent, tum etiam, ut laxius,
 & commodius, quam ad S. Damianum,
 habitarent. Magistratus, & cives Assi-
 sinates, suspicionibus acti, ne Transla-
 tionis hujus specie sibi Sancti Fran-
 cisci corpus vel totum, vel aliqua
 ejus pars auferretur, vi adhibita,
 illud occuparunt, nec ab aliis qui-
 buscunque id deferri passi suos ipsi hu-
 meros sacro oneri subjecerunt, quod
 illius diei lætitiæ haud modice per-
 turbavit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1230.
 vit. per
 S. Bonav.
 c. 13.
 Vad. an.
 1230.

H h h 3

§. LXII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1230.

§. LXII.

Frater Elias deponitur.

Vading. an.
1219. n. 2.

Elias, qui tunc temporis Ministri Generalis Fratrum Minorum munere fungebatur, curam ædificandæ novæ Ecclesiæ (erat vero magnifici operis) gesserat, utque sumtus suppeterent, pecuniæ subsidia ex omnibus provinciis exegerat. Illud vero viros hujus Ordinis, paupertatis amantissimos, maxime offenderat, quod in aditu Ecclesiæ novæ formam conchæ ex marmore, loco arculæ, ad recipiendam intrantium stipem destinatæ, posuisset; erat enim hæc publica transgressio Regulæ, pecuniam tangere Fratribus districtè prohibentis. Gravissimæ igitur querelæ in Capitulo anno millesimo ducentesimo trigesimo contra Fratrem Eliam afferebantur; nam pecuniæ ad ædificandam Ecclesiam collectæ partem in commodum suum privatum traxerat. Validum equum sibi coemerat, & famulos mercede conduxerat, solus in cella sua, & quidem laute reficiebatur. Præterea, ut Fratrum multitudinem demulceret, quædam privilegia a Summo Pontifice obtinuerat, quibus laxabatur rigor Regulæ; quale illud erat, quod eis in quo.

Id. 1230. n. 2.

quodam casu pecuniam per interpositam personam accipere liceret. Elias enim affirmabat, vitæ rationem, a S. Francisco institutam, ad literam a nemine opere impleri posse, nisi eodem spiritu, quo Vir sanctus, Deo conjunctus esset. Verum ita Elias Sanctum Patrem suum imprudentiæ arguebat, cum post ejus obitum nec Fratrum numerus decrevisset, nec ulla alia adjuncta fuissent mutata, necdum enim ab ejus morte totum quadriennium effluxerat. At Elias majorem Fratrum partem in suam pertraxerat sententiam, tum metu incusso (summa enim auctoritate, & more Domini imperabat) tum aliorum simplicitate, & ignorantia abusus. Ex tota Fratrum frequentia duo, haud plures, scilicet S. Antonius Patavinus, & quidam, gente Anglus, cui nomen Adamus *du Mavais*, palam ei obistere ausi sunt, sed non impune; nam eos contumeliis, & acerbis verberibus, tanquam schismaticos, & divisionis in Ordine auctores, pessime haberi jussit. Quin etiam sententia, solemniter denunciata, damnati sunt, quare illi ad S. Sedem appellarunt. Sed carcerem sibi ab Elia destinatum non effugissent, sine auxilio cujusdam viri Genuensis, Poenitentiarum Apostolici, & Papæ a confessionibus, qui

Sæcul. XIII.

A.C. 1230.

H h h 4

ab

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

ab hoc periculo liberatos, tuto ad Sum-
mum Pontificem deduxit. Elias a suis
de hac re monitus, cursores misit, qui
fugientes retraherent; sed illi viam tri-
tam devitantes per minus notos calles
Romam feliciter pervenerunt. Grego-
rius Papa, cui amborum virorum me-
rita dudum erant perspecta, venientes
paterno affectu excepit, auditisque, quas
deferebant, querelis, ingemuit, quod
eorum Institutum tam cito post dece-
sum S. Fundatoris vacillare cerneret.
Tum, misso Nuncio, Eliam, & omnes in
Capitulo præsentem ad se commeari
iussit.

Postquam venissent, & omnes in con-
spectum Papæ essent admissi, Antonius
& Adamus Eliæ objicere cœperunt, quod
equum aleret, & servos, quod cibum
solus caperet, & in primis, quod preci-
bus, veritate non nitentibus, cum detri-
mento Regulæ, a Sacra Sede privilegia

Elias^s causam
dicens.

elicuisset. Elias respondit: *Cum, de-
functo Ordinis nostri Auctore, Fratri-
bus, me Ministrum eligentibus, repugna-
rem, dixerunt; si id pro munere tuo ra-
tione necessarium est, habe tibi equum,
& ut lubet, epulare.* Postquam igitur
officium suscepi, necessarius mihi fuit
equus, & homo, qui pabulum præberet,
iterumque domesticus alius, qui manda-
ta,*

* aurum co-
mede. man-
ger de l'or.

ta, quo opus esset, deferret. His, si pe- Sæcul. XIII.
cunia deficiat, alimenta, & stipendium A.C. 1230.
dari non possunt. Quamvis vero neces-
sitas, & Fratrum meorum consensus sa-
tis securum me præstarent, præterea ta-
men, ut nihil superesset, quod conscien-
tiam pungeret, Sanctitatis tuæ pedibus, li-
centiam rogans, accidi. Si Ecclesiæ fa-
bricam spectemus, quæ curæ meæ commis-
sa fuit, manifestavi S. Francisci volun-
tatem, quam mihi secreto aperuerat, &
tibi, Sancte Pater, ex parte non ignotam.
Ut nihil dicam, neminem, auro destitu-
tum, Ecclesiam dignam, in qua tanti vi-
ri Reliquiæ conderentur, extruere po-
tuisse. Elia tanta ingenii, & argumen-
torum, in speciem satis firmorum, vi
causam dicente, audientibus perperam
accusatus fuisse videbatur.

His vero Antonius opposuit: Si E-
liæ licentia concessa est auro vescendi, ut
per adagium loqui solemus, non ei ta-
men licebat Thesaurum cumulare. Si
privata sua necessitati sine culpa consu-
lere potuit, non inde sequitur, quod ei
more Principum vivendi jus fuerit; cum
malo suo exemplo in totum ordinem
teporum invebat, nam Regulæ ruinam
Ministri nostri Generalis mores minan-
tur. Ad hæc Elias iram non tenens,
H h h § atque

Sæcul. XIII.
A. C. 1230. atque immemor, quid Summi Pontificis præsentis reverentiæ deberet, S. Antonio in faciem ingessit, quod insolentissime mentiretur. Sed Papa, re dicit pensata, munere Generalis Ministri Eliæ adempto, Fratres, se præsentem, alium jussit eligere. Non fuit difficile negotium, quippe Fratres uno quasi suffragio Joannem Parentium, tunc provincialem in Hispania Ministrum, patria Florentinum, spectatæ pietatis virum, Ministrum Generalem sibi cooptarunt, Papa lubenter hanc electionem confirmante.

§. LXIII.

Interpretatio Regulæ S. Francisci.

Vad. n. 14. Verum non obstante querela, contra Fratrem Eliam mota, superest nobis Bulla, hoc anno, dum Capitulum celebrabatur, ad explicandam S. Francisci Regulam data, sive illa eadem sit, quam Elias impetraverat, sive alia postmodum concessa. In ea memoratur, quod Fratres, in Capitulo Generali congregati, eorumque Minister Generalis, Summo Pontifici exposuissent, dubitare se, an tenerentur secundum literam servare S. Francisci Testamentum, in quo Regulæ verba interpretari, vel quasunque
litteras

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

literas ad explicandum eorum sensum a sacra Sede petere prohiberentur. Gregorius Papa eorum scrupulum removet, declarans, quod non obligentur ad servandum hoc Testamentum, sine communicatione Ministrorum, aliorumque Ordinis Fratrum, conditum. Quod etiam tunc solum ad servanda Consilia Evangelica teneantur, ubi diserte Regula, tanquam de præcepto, id exigit. Quod non obstante præcepto, ne per se ipsos, vel alios pecuniam accipiant, si quædam necessaria emere velint, aut rerum emtarum pretium solvere, possint Benefactori suo, eis hanc eleemosynam impertienti, virum exhibere, qui debitum statim solvat, aut pecuniam cuidam Fratrum amico custodiendam tradat, qui eam, postulante Fratrum necessitate, ut videbitur, vel ut ab ipsis monitus fuerit, impendat.

Regula diserte prohibet, ne Fratres vel domus, vel alicujus loci, vel cujuscunque rei, proprietatem habeant; sed non nulli asserebant, rerum mobilium proprietatem toti Ordini communem esse. Quam quæstionem Papa ita definit. *Declaramus, Fratribus nullam debere esse proprietatem, nec communem, nec privatam, sed solummodo usum librorum, aliarumque rerum mobilium,*
secus

Sæcul. XIII. *secundum dispositionem Superiorum, sub*
A.C. 1230. *vo dominio, id est, proprietate illorum,*
ad quos domus, vel alia loca pertinent.
Res mobiles Ordinis sine auctoritate Car-
dinalis Protectoris non veniuntur, aut
ad alias manus deferantur. Præterea
hæc Bulla alias Constitutiones, de pot-
estate Fratribus pœnitentiam imponen-
di, de eorum Approbatione ad prædi-
candum, de susceptione tyronum, de
electione Ministri Generalis, & accessu
ad Monialium domos, complectitur, est-
que die vigesima nona Septembris, an-
no millesimo ducentesimo trigesimo
data.

§. LXIV.

*Inter Papam & Imperatorem Pax
succedit.*

Inter hæc negotium reducendæ pacis
inter Papam, & Imperatorem ferve-
bat. *ap. Rain. n. 4* Nam die tertia Julii Imperator,
præsentibus duobus Legatis, Joanne E-
piscopo Sabinensi, & Thoma Presbytero
Cardinale S. Sabinæ, juramento se ob-
strinxit, quod se voluntati Ecclesiæ im-
pliciter, & nulla præmissa conditione
vellet submittere. Tum ad præfectos
mandata directa, ut urbes Regni Sici-
liæ, quæ se Pontifici subjecerant, quin
tamen

tamen hæc restitutio Ecclesiæ Romanæ Sacul. XIII,
 honori noceret, sub potestatem Impera- A. C. 1230.
 toris redire sinerentur. Imperator vi-
 cissim cautionis nomine, & more depo-
 siti, complures urbes custodiæ Herman-
 ni, Ordinis Teutonici Magistri, tradidit.
 Tandem die Mercurii, vigesima octava n. 6.
 Augusti, in Festo S. Augustini, Impera-
 tor in castris suis, prope Ceperanum in
 Campania, in Capella S. Justi *, per duos * S. Justæ.
 S. Sedis Legatos, Joannem & Thomam,
 a vinculo excommunicationis absolutus Ric. S. Ger.
 est, eique ab iisdem Legatis, auctorita- p. 1011.
 te Papæ, sequentes condiciones injunctæ.

Rain. n. 8.

*Dominus Imperator nec per se, nec
 per alium probibeat, quin Electio, Postu-
 latio, Confirmatio, in Ecclesiis Cathedra-
 libus, & Monasteriis Regni Siciliae,
 secundum Statuta Concilii Generalis li-
 bere fiant. Comitibus Calanensi, & fi-
 liis Rainaldi de Aversa, secundum pacta,
 pro quibus Ecclesia fidejussit, satisfaciat.
 Præterea res mobiles restituat, injurias
 delet, ac damna Templariis, Hospitala-
 riis, aliisque Viris Ecclesiasticis illata,
 tempore ab Ecclesia assignando, resar-
 ciat. A die Absolutionis intra men-
 ses octo, bona fide, caveat Ecclesiæ per
 Fidejussores idoneos, & juratos Prin-
 cipes, Comites, Barones Teutoniæ, ac
 per*

Sæcul. XIII. A.C. 1230. *per civitates Longobardiæ, Tusciæ, Mar-*
chiæ, Romandiolæ, & earundem pro-
vinciarum Optimates, quos Ecclesia no-
minabit: salva illa cautione, quam Fi-
dejussores in causa & negotio Terra
sanctæ pro Imperatore præstiterunt, ita,
ut ea omnia impleat, quæ Ecclesia præ-
scribet. Denunciamus, quod Dominus
Papa sumtus sibi restitui petat, quos
extra Regnum, pro Ecclesiastica liber-
tate, & B. Petri Patrimonio conse-
rvandis, facere coactus est. Si Domi-
nus Imperator, quæ in hac transactio-
ne promisit, bona fide non perficiat, in
ipso facto sententia Excommunicationis
vinciatur, quam jam modo, auctoritate
Domini Papæ, in eum decernimus. Hæc
Acta eadem die vigesima octava Augu-
sti, anno millesimo ducentesimo trigesi-
mo data sunt, quibus etiam tres Præsul-
es exteri, tunc præsentés, videlicet Ar-
chiepiscopus Arelatensis, Episcopus Win-
toniensis, & Episcopus Belvacensis, ali-
que complures ex Germania, & Italia
Præsules, datis publicis literis, fidem
fecerunt.

Ric. p. 1012. Die Dominica, prima mensis Se-
 ptembris, Imperator, a Papa invitatus,
 venit ad eum Anagniam, apud quam ur-
 bem castra posuerat. Intravit civita-
 tem

tem Cardinalibus, & viris illius loci Nobilibus, magna pompa, comitantibus, atque ubi in conspectu Pontificis fuit, detracto sibi pallio, ejus pedibus accidens, pacis osculum accepit. Ambo in eodem loco cum multis Principibus uni mensæ accubuerunt. Soluta deinde convivio, Pontifex, & Imperator, solo Ordinis Teutonici Magistro admisso, diu collocuti sunt; tumque sequente die Fridericus ad castra, indeque in Regnum suum reversus est (*).

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

Gest. Greg.
ap. Rain.
n. 15.

(*). Ad hoc fere tempus referenda sunt, quæ narrat Palatius in Friderico II. Imperat., seu in Aquila Suevica pag. 329. *Italico itaque pulsa discordia solo in Germaniam advolavit Fridericus, & Ludovicum Bavaricæ Ducem *hujus nominis primus. Cæsari (Henrico) suspectum reddidit. Quæ fuerit? ignoratur causa. Ea creditur, quod Henricum, filium Friderici, remissius coleret. Quidquid demum intercesserit, Ludovicus sicarii manu subtrahitur, auctore, uti dicitur, Friderico, cuius facti ut atrocitatem leniret, Othoni, filio Ludovici, consolatoriam scripsit sequentem.*

In ea Imperator his utitur verbis: *Dux Bavaricæ, Charissimus Socer . . . humanitatis commune debitum . . . exolvit. Ex quo tanto*

Sæcul. XIII. A.C. 1230. *to nos pungit doloris illius acerbius, quanto per
ejus absentiam, quæ Genitoris in nobis officium
compensabat, Et, velut nostri pars magna com-
filii, erga nos charitatis paternæ non imparis
dabat affectus, majora sentimus incommoda.
Et postea: Multa nobis, Et tibi sunt exinde
solaminis assumenda consilia, ut Et nos decedens
Patris occasum superstitionibus consolemur in
filiis, in quibus nobis affinitatis solidæ pig-
ra remanserunt &c. Addit Palatinus: Otto
porro non ignarus, aliunde quærendam conso-
lationem, justis patri Regie solutis, totius pro-
vinciæ granaria in alimoniam pauperum jus-
sit aperiri, quod eo anno re frumentaria in-
gustiarentur.*

FINIS TOMI XIX.



INDEX